




20

ST. J. B. H. C.
1877
JAN 10

13151

W. H. BLOTT
SEMI-ANNUAL
1911



Handwritten text in a cursive script, possibly a signature or a name, located in the middle of the page. The text is dark and somewhat faded.

Handwritten text in a cursive script, possibly a signature or a name, located below the first line of handwriting. It is also dark and somewhat faded.

HISTORIA
BELLI SEPTENNIS,

IN GERMANIA

AB A. MDCCLVI AD A. MDCCLXIII

GESTI,

AUCTORE

IOA. GVIL. DE ARCHENHOLZ,

OLIM IN EXERCITV BORVSSICO CENTVRIONE.

LATINE VERTIT.

et

TABVLAM BELLI CHRONOLOGICAM

ET PROSOPOGRAPHIAM

HENRICUS GODOFREDUS REICHARDUS,

A. M. ET SCHOL. PROV. CRIMMENS. COLL. III.

Annexa est Mappa Geographica, quae belli Theatrum
continet.

Cum Privilegiis Borussico, Saxonico et Brandenburgico.

Editio altera emendatio.

BARVTHI,

Apud Ioann. Andr. Lubecii Heredes

MDCCLXXXII.

13457

HISTORIA

13151

BIBLIOTEKI
SEMINARYJ
KONKWIJSTY
W BIAŁYMOSTKACH

SERENISSIMO PRINCIPI

AC DOMINO

FERDINANDO,

DVCI BRVNSVICENSI,

ETC. ETC.

HEROI GERMANIAE PRIMARIO,

HVNC LIBRVM CONSECRAT

INTERPRES LATINVS,

HENRICVS GODOFREDVS REICHARDVS.

ERRATA

DE ROMANO

FRANCISCO

AVGVSTO

MDCCCLXX

INSTITVTVM

INSTITVTVM

INSTITVTVM

INSTITVTVM

*M*agne animo Princeps, Guelfo-
rum augusta propago,
Maxima Germani gloria lux-
que soli.

*A*ctos dum laetus numerofo ex ho-
fte triumphos,

*E*t quoduis belli mente reuol-
uis opus,

*L*aetior at faluis faluas cum ciui-
bus vrbes,

*P*ignora tot laudis materiemque
TVAE:

TE ne, iterum, pigeat, librum per-
currere, iuncta

FRIDRICI gestis qui TVA
gesta refert,

Sed quo, mite simul, perlecto, et
amabile pectus,

Candorque et pietas conspicien-
da TVA est?

Hunc scripsit miles quondam gene-
rosus, at idem

Doctrina vir nunc ingenioque
potens.

Qui

*Qui patrio placuit, placeat sermo-
ne Latino,*

*Ausus TE coram verba vetusta
loqui.*

*Displicet ignoti fortasse interpretis
ausus,*

*Quod TANTO HEROI dedi-
cat ille librum?*

*At deuota TIBI reuerentia, credo,
placebit,*


*Et pietas, qua vix verior ulla
fuit.*

O! utinam factis, quae continet
iste libellus,

Parta, DVX, fama, MAGNE,
fruare diu!

Non solus praecor hoc; quin mecum
gentis eandem

Teutonicae vocem totius esse puta.



perioris curata est, quae multo viliori pretio venderetur, verum etiam, quod (vt fama est) iam versiones eius aliquot Francicae prodierunt, quas, probabile est, alias propediem aliarum linguarum secuturas. Ipse vero *Historiae* huius Auctor iis partim laudibus, partim praemiis, a summis Europae regibus et principibus propter eam ornatus est, quibus nullum vnquam scriptorem post hominum memoriam ornatum nouimus. Neque vero id iniuria factum, aut saeculi potius mori, quam libri virtutibus ac veritati tribuendum arbitramur. Nam quum in historiae scriptore imprimis requirantur haec, vt res gestas et gestarum modum accurate nouerit, vt earum delectum habere sciat, vt nihil vel religioni, vel sectae, vel patriae, vel studiis priuatis dare audeat, vt denique eo orationis genere vtatur, quod omnibus, certe cultioribus et cordatoribus merito placere possit; quis non praestitisse generosissimum

fissimum *Archenholzium*, fateatur, haec omnia, qui et plurimis rebus, horrendo isto bello gestis, ipse interfuerit, et multarum litterarum scientia imbutus, magnaue hominum, per praecipuas Europae partes, notitia instructus, ad scribendum se accinxerit, et memorabilia virtutum et vitiorum exempla in vtraque bellantium parte studiose notauerit, et illud denique sermonis patrii genus adhibuerit, quod, cum sententiarum, tum verborum luminibus ornatissimum, lectores non modo rem gestam doceat, sed etiam eos vehementer delectet et moueat, ita quidem, vt non facile, nisi perlectum, ac relectum adeo, librum de manibus deponant? Quod quidem, vt de multis aliis taceam, de me ipso certe fateri minime erubesco.

Haec igitur omnia quum considerassent
b. *Lubeccii*, librarii *Baruthini*, heredes, viri
hone-

honestissimi, venissetque iis in mentem, an-
non ex tali libro ad iuuentutis litterarum
studiosae fructum redundare aliquid posset,
petierunt a me, vt eum, veteri Latinitate
vestitum, ipforum sumtu in vulgus ederem.
A quo consilio etsi ab initio eram paulo
alienior, partim propter breuitatem tempo-
ris, quod adornandae versioni concedere-
tur, partim, quod talium librorum, bene
Latine a recentioribus conuersorum, et iu-
uentutis scholasticae vsibus destinatorum,
nunc non tantam, quantam ante hos decem
vel viginti annos, penuriam esse amplius,
animadvertissem; tamen rem diligentius con-
sideranti quaedam in mentem venerunt, pro-
pter quae ad suscipiendum hunc laborem,
nec defugiendum, quidquid cum eo con-
iunctum esset molestiae, fierem paulatim
procliuior.

Neque enim librarii honestissimi, aut
omnino aliorum, qui hoc tempore libros
Ger-

Germanicos Latine vertendos a peritis curarunt, consilium, planissime intelligebam, esse, aut esse omnino posse hoc, vt, quum, se id scholarum causa fieri velle, dicerent, auctores veteres, Romani illi aetatis aureae praestantissimi (quos duumviri illi, GESNERVS et ERNESTIVS, eiectis Buchneris, Cunaeis, aliisque recentioribus, quasi postliminio in scholas, veterem sedem suam, magno labore ac studio reduxerant) inde rursus eiicerentur, sed potius, vt cum horum assidua lectione et interpretatione coniuncta recentiorum lectio efficeret quandam apud iuuenes, litterarum studiosos, facultatem, etiam veteri Latinitate, quantum fieri posset, exprimendi res novas et vitae communis, quum olim non nisi de rebus ad eruditionem pertinentibus, bene Latine scribere in scholis docerentur. Quidni enim turpe sit, Latinae quidem linguae scientiam professis, qui Ciceronis, Liuii, Caesaris, Cornelii

nelii Nepotis, Terentii etc. libros assidue evoluisse se dicant, non tantum ex his profecisse, vt de rebus vitae quotidianae, de re publica, aulica, et militari ita loqui possint, vt veteres illos, si hoc tempore viuerent, locuturos probabile sit? Atque hoc ipsum me etiam inprimis fateor, spectasse tum, quum, ante aliquot annos, aliorum rogatu, cum sociis quibusdam et amicis *Ephemerides Lipsicas* edidi.

Sed dixerit forsan aliquis, ex hoc ipso librorum genere, ex quo hic liber sit, iam alios, eosque recentissime, Latino sermone prodiisse, vt adeo hoc labore plane supersedere nunc quidem liceat. — Scio sane, nuperrime existisse duumuiros, qui, libris scriptis, res per Europam, a Friderico II. maxime, gestas, exponerent. *Alter* eorum, *Carolus Gustauus Schulz ab Ascherade*, vir ciuili prudentia instructissimus, *Res suo aeuo gestas*, Londini, MDCCLXXXIX, 8. *alter*

ἀνώνυμος,

ἀνώνυμος, pariter doctissimus, *De rebus gestis
 Friderici M. Borufforum Regis, iunctis cohaeren-
 tibus eis rerum in Germania gestarum historiis,
 Partem I. MDCCLXXXVIII. 8.* ediderunt.
 Sed, vt de vtriusque libri ab Archenhol-
 ziano diuersitate, si res et argumentum spe-
 ctes, nihil dicam, *ille*, vt Cornelium Taci-
 tum imitando totum expressit, ita cum magnis
 Taciti virtutibus singula simul, quae in egregio
 scriptore vulgo improbantur, breuitatis affe-
 ctationem, obscuritatem, ac dictionem saepe
 minus Latinam, secutus est, vt propterea
 non tam adolescentibus in scholis commen-
 dandus, quam grauibus viris, rempublicam
 recte gesturis, relinquendus videatur; *hic*,
 etsi haud paulo elegantior, ac Liuii, Caesa-
 risque similiar, tamen, quum admodum co-
 piose singula enarret, nec longius in parte
 operis prima progressus sit, quam ad pacem
 Dresdensem, apparet, ea quae restent, plu-
 ribus demum voluminibus ab eo absolutum
 iri;

iri; quod quando futurum fit, nemo nunc quidem dixerit. *) Itaque vel ideo, quod in Historia Archenholziana haec omnia aliter se habent, ac praeterea ad vsus populares totum opus conscriptum est, non superuacanea prorsus mihi Latina eius versio futura videbatur.

Verum sunt aliae quoque causae, propter quas non modo vtilem, sed etiam pae-
ne necessarium adeo talem laborem arbitror. *Primum* enim interest, eiusmodi librum non a Germanis modo, verum etiam ab exteris nationibus legi, vt inde, quid, et quantum illi virtute et armis efficere possint, cognoscant. Quod, qua lingua commodius fiet, quam Latina, quae gentium Europaeorum

*) Huius operis elegantissimi non modo, post editum libellum nostrum, pars II ad IV 1791, prodierunt, verum etiam auctor doctissimus, innotuit, qui illustri Roederus est, Seren. Duci Hildburghusano a consiliis sanctioribus.

rum veluti commune quoddam vinculum recte habetur? *Deinde* quis, quaeso, linguarum, recentiorum, nominatim Germanicae, vicissitudines nescit, hac praesertim aetate, qua omnia nouandi pruritus vbique dominatur, et qua viri adeo, magnae auctoritatis, linguam nostram coeperunt immutare, seu potius corrumpere? Quod si facere diutius perrexerint, vt ea saeculo proximo futuro sui adhuc similis sit, admodum profecto verendum videtur. Quo semel facto facile quoque accidet simul hoc, vt multi Germanorum libri optimi, et rerum inprimis causa lectu digni, a magna eorum parte, quorum vsibus destinati sunt, propter mutatam linguae veluti vestem, fastidiantur. Quam praeclare igitur hoc rerum statu cum his libris agitur, quod ei malo medicina quaedam superest in lingua Latina, cuius quum leges semel fixae in perpetuum atque immotae maneant, caueri per hanc

quodammodo videtur posse, ne illi penitus intermorianur.

Neque ego diffiteor, has duas causas plus paene valuiffe ad me mouendum, vt librarii voluntati fatisfacerem, quam illam, quae ab vtilitate, scholis inde speranda ducitur. Nam haec quidem a multis pendet rebus externis, a voluntate eorum, qui scholis praesunt, a praeceptorum dexteritate ac prudentia, a discipulorum studiis ac diligentia, et similibus; hae contra semper valebunt, ac si, (quod tamen minime opto) verendum fortasse, quod dixi, etiam Historiae Archenholzianae fuerit, spero, fore, vt vel e versionis Latinae vmbra corporis egregii structura, pulchritudo, ac praestantia, a posterorum fastidiosissimo quoque, certe aliquatenus agnoscantur.

Ad ipsam hanc versionem quod attinet, id operam dedi, vt, quantum fieri posset, serua-

feruato Auētoris charaētere ſcribendi, veteris Latinitatis colorem retinerem, nec niſi Latinis periodis ac numeris vinēta oratione vterer. In quibusdam locis paulo obſcuriora erant verba, vt de ſenſu diuinandum eſſet; quod num recte ſemper factum ſit, peritiores iudicabunt, omninoque ſi quid vel in coniectando, vel in interpretando peccatum a me fuerit, partim imbecillitati humanae, partim temporis, quo verſionem hanc inter alia negotia non pauca concinnari oportuit, breuitati beneuole condonabunt. Quod ſi eam in ſcholis tractari fortaffe alicubi contigerit, quod optare librarius videtur, id ſaltem magiſtros earum rogatos velim, ne id in veterum ſcriptorum fraudem fiat, ſed cum horum aſſidua lectione illius tractatio coniungatur. Neque opus eſt, modum tractandi peritis ſcholarum magiſtris copioſe praefcribere; his enim iam nimium eſt, quod dixi; imperitis contra nihil, vt aiunt, fatiſ eſt.

Ad commodiores denique libri vsus *Tabulam breuem chronologicam* addendam putavi, qua, vno velut obtutu, euenta belli septennis, non omnia, sed praecipua, lectores conspicerent.

Caeterum quum nec sumtui, nec operae librarius pepercerit, vt quam ornatissimus liber prodiret, (vnde et *Tabulam Geographi- cam*, archetypo adiunctam, versioni adiiciendam curauit) vel huius viri causa opto, vt ne incassum vtrumque impenderit, sed plurimos emtores reperiat. Deus autem O. M. tale tantumque bellum, quale quantumque hic descriptum est, in perpetuum a patriae nostrae finibus auertat, et hunc librum magnam studiosae iuuentuti vtilitatem afferre iubeat, quae a me sola spectata est! Ita me lectorum fauori ac beneuolentiae commendatum volo.

Scripsi Grimmae, pridie Calend. Mart.
MDCCXC.

PRAEFATIO
EDITIONIS SECVNDAE.


Quum anno superiori rogatu heredum Lubeccianorum, qui librariam Baruthi exercent, generosissimi Archenholzii Historiam belli septennis, communi omnium plausu exceptam, latine vertebam, nihil minus sane audebam sperare, quam, fore, vt haec tenuis opella, praesertim tam breui temporis spatio a me tum conficienda, tot virorum doctorum iudiciis probaretur. Nunc, quum et honorificus horum, in Ephemeridibus literariis, per Germaniam hinc inde editis,

(quotquot quidem mihi innotuere) sententias experta sit, et, variis in locis, scholarum, (vt audio) vsibus inferuiat, et libarius denique, exemplis primae editionis paene diuenditis, noua iam opus esse, mihi nunciarit; indignum sane honesti scriptoris persona foret, partim illas virorum doctorum laudes grato animo non agnoscere, partim, in quibus priorem editionem adhuc multum ab illis laudibus abesse viderit, ea non in posteriori pro viribus emendare, vt nunc certe aliqua ex parte illas mereri videatur. Hoc itaque consilio totam versionem, denuo attente perlectam, recensui, errores typographicos correxi, capita paulo accuratius descripsi, obscura enunciaui distinctius, quae minus latina aut ambigua me
antea

antea posuisse animaduertissem, latinius ac definitius exprimere studui, et aliquot notulas historicas, quae mihi deesse adhuc videbantur, adieci. Praeterea, quum in mentem mihi venisset, eos principes et viros illustres, quorum in hoc libro fit mentio, nobis quidem et aequalibus nostris, quorum illi aetate vixerunt et obierunt, satis notos esse, pueris contra et iuuenibus, qui nunc succrescant, et in scholis hinc inde instituantur, non tam familiarem eorum esse notitiam, propter temporis interuallum haud exiguum, eamque ignorantiam singulis annis, necesse esse, augeri; Conspectui Chronologico Prosopographiam breuem visum est adiungere, vt statim scirent pueri, quis v. c. Franciscus I. quis Georgius II,

quis Petrus III etc. esset, quoties eorum nuda mentio ab auctore iniiceretur. Certe ad expeditiorem libelli vsum non plane inutile hoc iuuentuti fore putavi.

Haec sunt, quae ad augendum et emendandum libellum praestare, in praesenti quidem licuit, quem caeteroqui non magis, quam me ipsum, lectorum favori ac benevolentiae denuo esse cupio quam commendatissimum. Scripsi Grimmae, ipsis Idib. O&. MDCCXCI.



PRAEFATIO AVCTORIS.

Quo tempore Germani nationum Europaearum omnium non modo ad scribendum promptissimi sunt, verum etiam eruditissimi, nemo sane non miretur, in eorum gratiam, qui ipsi milites non sunt, belli septennis, memoria longe dignissimi, et nostra adeo aetate gesti, historiam editam nondum fuisse. Nam in maxima eorum librorum copia, qui bella gesturis talium rerum farraginem suppeditant, ductorumque et superioris, et inferioris ordinis Ephemerides exhibent, in quibus partim minimae cuiusque cateruae itinera accurate expuntur, partim leuissimae velitationes copiose enarrantur, partim denique multa, maiori hominum parti scitu minime necessaria, litteris consignata reperiuntur, in

maxima igitur talium librorum copia, intra aliquot
Vitarum fragmenta, aut voluminosa quaedam Opera, et
consilio parum accommodate scripta, quae nemo lege-
ret, res substitit. Ac ne milites quidem tanti belli hi-
storiam aliquam perpetuam, sibi profuturam, adhuc re-
periunt. Nam, quae *Tilkius* eodem consilio edidit,
fane excellentissima, nonnisi singula belli euenta illu-
strant. Tandem post viginti amplius a bello finito
annos exstitit *Tempelhofius*, qui, scripta ad vsus tacti-
cos eiusdem historia, non modo nostrae aetatis mili-
tes, cuiusuis ordinis, verum etiam futuri aevi bellato-
res, non iucundius delectaret, quam sapientius instrue-
ret; nec vnquam, ex quo bella per terrarum orbem
geruntur, facinora bellica cum ipsis ducum consiliis et
artibus diligentius exposita sunt. Et tamen deerat ad-
huc libellus, de eadem re ad vsus communes scriptus,
in quo res ipsae et euenta cum causis et effectis, non
ad vsus tacticos, sed historicos, conscripta, animum ac
mores

mores cum populorum bellantium, tum omnino saeculi vim, ex varii generis actionibus signarent.

Equidem hic rem tentavi, idque eo magis, quod festinandum videbatur ad colligenda ab oculatis rerum gestarum testimonia, atque ii, quorum aetate tam memorabilia in Germania acciderunt, rebus humanis incipiunt paulatim excedere. Quod si vlla vnquam historia omnium Germanicae nationis ordinum manibus teri meretur, haec profecto digna est; quae, quum patriae nostrae apud externos existimationem multis de caussis augeat, ipsi etiam populo sublimiorem quodammodo animum inspirare posse videtur. Vnde non male profecto delecta est implendo Calendario, quale consilio suo conuenientissime *Carolus Spenerus*, librarius Berolinensis, edere inde ab aliquot annis instituit. Sed ipsa haec parua Calendarii moles (aliis laudabilibus consiliis exsequendis alioquin aptissima) ambitum huius narrationis paulo arctius circumscripsit. Vnde

rogatos

rogatos lectores velim, ne hanc breuitatem ab ipsa quippe necessitate profectam, et consilium auctoris, totum semper, non partes singulas respicientis, obliuiscantur. Neque vero illud non opus est monere, quum non tam Friderici expeditiones bellicas, quam omnino belli historiam scripserim, me non laudatorem tanti regis hic agere voluisse, cuius res gestas simpliciter enumeranti plura laudis verba addere superuacaneum fuerit. Neque enim istius imaginis colores, vel sine additamento fatis splendidi, umbra carere facile poterant, non displicitura fortasse, nisi his, qui, naturae legum ignari, plenum vbique lumen videre uerint. Et quis, quaeso, summum Friderici ingenium agnosci, neget, potuisse ab eo scriptore, qui multis historiae suae locis, impetu quodam animi correptus, quoties sensus animi uerbis uellet exprimere, linguae paene paupertatem sibi fatendam putarit? Sed non filenda sunt scilicet rerum gestarum scriptori hu-


mana vitia, in facto posita, si partem rei gestae constituant, et ad hanc omnem melius intelligendam pertineant, quisquis demum, vel saeculi sui princeps, iis laborauerit; certe tum silenda omnium minime, si illa historia multis singularibus factis emineat. Tantum enim abest, ut veritas eius suspecta reddatur, ut libera vitiorum commemoratio, quibus summi mortaliū non magis carent, quam infimi, plus fidei faciat, ideo, quod integritatis summae signum sit.

Paucissimis adhuc verbis, quae me ad hoc opus aggradiendum partim impulerint, partim idoneum reddiderint, liceat adiungere. Ego inde a Decembri anni MDCCLVIII per totum bellum in ipso Friderici exercitu militavi. Eo tempore, licet paene adhuc puer, nec dum per usum rerum ad recte iudicandum idoneus, tamen cupide atque attente audiebam veteranorum iudicia, quorum deinde maturiori aetate veritatem apud me ipse explorabam. Atque etsi tum de tali historia

conscri-

conscribenda ne per somnium quidem cogitabam, tamen per itinerum meorum occasiones multas res, huc pertinentes, collegi, partim, quod adolescentiae meae partem illustrabant, partim, quod bellum septenne, quo diutius populorum annales perlustrabam, eo mihi videbatur esse memoria dignius. Has itaque adhibui, nec tamen has tantum, sed etiam e libris, quorum catalogus statim subiectus est, profeci.

Scrib. Hamburgi, pridie Nonarum Ianuariarum
MDCCLXXXVIII.




CATALOGVS FONTIVM,

VNDE HAEC HISTORIA HAVSTA EST.

- 1) *Beyträge zur Staats - und Kriegsgeschichte*, 19 Bände, Danzig, 1764. Opus monumentis, fide dignis, plenissimum.
- 2) *Geschichte des siebenährigen Kriegs in Deutschland von G. F. von Tempelhof, Königl. Preussischem Major bey dem Feld - Artillerie - Corps*, 3 Theile, Berlin, 1785. 4.
- 3) *Beyträge zur Kriegskunst und Geschichte des Krieges von 1756 bis 1763, mit Plans und Karten von I. G. Tielke, Churf. Sächs. Artillerie - Hauptmann*, 5 Stück. Freyberg, 1781.
- 4) *Von Schlesien*, 2 Theile, Freyburg, 1785.
- 5) *Briefwechsel des Marquis von Mont - Alembert, in den Feldzügen von 1757 bis 1761*, 3 Theile, Breslau, 1780.
- 6) *Abriss der drey Schlesischen Kriege, von Ludwrig Müller, Königl. Preuß. Ingenieur - Lieutenant*, Berlin, 1786.
- 7) *Die Feldzüge der Preußen wider die Sachsen, Oesterreicher, Franzosen, Reichstruppen und Schweden, vom Jahre 1756 bis 1760*. 6 Theile, Frankfurt und Leipzig, 1763.
- 8) *Lebens - und Regierungs - Geschichte Königs Friederichs des Andern, in Preußen*, 2 Theile, Leipzig, 1784.
- 9) *The General - History of the War from 1755, to the Peace in 1763. By the Rev. John Entick*, 5 Volumes; London, 1784.

- 10) *Commentaires sur les Commentaires de Comte de Turpin sur Montecuculi etc. Par M. de W. G. M. 2 Tom. A St. Marino, 1777.*
- 11) *Remarques sur l'Essai General de Tactique, de Guibert. Par le General de Warnery, a Varsovie, 1782.*
- 12) *Nachrichten, die Feldzüge von 1756 bis 1763 betreffend, Dresden, 1785.*
- 13) *Sammlung ungedruckter Nachrichten, die die Geschichte der Feldzüge der Preußen von 1740 bis 1779 erläutern, 5 Theile, Dresden, 1782.*
- 14) *Militarische Monatschrift.* Hoc opus periodicum, et quod statim sequitur, plena sunt narrationum accuratissimarum de rebus bello gestis, nec minus fragmentorum e libris diurnis militaribus, per viros saepe grauissimos litterarum monumentis consignatorum.
- 15) *Bellona.* Ephemeris militaris.

His accesserunt multa MSta, et ἀνεύδοτα, quae auctor ipse hinc inde collegit.



HISTORIAE BELLIGERMANICI SEPTENNIS LIBRI VII.

LIBERI.

CAPVT I.

Redito post bellum diutinum omnibus Europae populis per pacem Aquisgranensem otio, quanquam pacis artes reflorescebant, et plures in annos sopitus nouorum bellorum furor videbatur; nihil tamen minus, quam pacem, illo ipso tempore, spirabant principes eius terrarum partis potentissimi, nec vnquam fere maiori studio in eorum consistoriis nouorum bellorum materia quae- rebatur, quae etiam deinde flammam concepit. Quum enim non tam sapientibus reipublicae tractandae praeceptis, quam priuatis odiis et amicitiiis, nixa foedera sancirentur; necesse erat vindictae cupiditati finium adeo imperii propagandorum studia posthaberi. Erant tum duae foeminae principes, numerosissimarum gentium summa cum potestate retrices,*⁾ eademque iniuriam sibi factam ratae ab eo rege, in quem omnium oculi nationum erant coniecti, qui summa cum gloria duo bella confecerat, cuius ingenii animique magnitudinem omnes admirabantur, cuius denique virtutes, in imperando demonstratae, aliis regibus exemplo esse posse videbantur. Cuius altos vt spiritus

*⁾ Elisabetha, Russiae Augusta, et Maria Theresia, Hungariae et Bohemiae regina, Francisci I. Imperatoris, coniux. *Nota interpretis.*

ritus frangerent, seu potius, ne inter ceteros alicuius numeri esset amplius, vt efficerent, quum nullis consiliis aut studiis parceretur, ecce! aliud conflatum est bellum, quo, siue immensum paene armatorum numerum, patria ac linguis dissidentium, siue duces ac res ab iis gestas, siue bellandi artes et inuenta callidissima, siue praeliorum, terra marique commissorum atrocitatem, cum eorum effectis, siue mirabilia omnis generis per id tempus euenta, siue denique incredibilem per omnes partes progressum et incrementa respexeris, quo igitur nullum est gestum memorabilius ex omnibus, quae vnquam terrarum orbem deuaslarunt.

2. Scilicet Silesiae, amoenissimae illius prouinciae, et incolarum industria florentissimae, a Friderico II, Borussiae rege, sub ipsa imperii initia bello occupatae, cuius illi habendae ius quoque pax, cum Vratislauenfis, tum Dresdensis firmauerat, ereptam sibi possessionem Maria Theresia, Augusta, Francisci I, Imperatoris coniux, nondum potuerat concoquere; praesertim, quum ei coacta fuisset victori illam relinquere, qui, cum ipsa vix regnare coepisset, solus ex infestis ipsi regibus armatus cum postulatis praeter opinionem exstiterat. Neque prius, quantam in hac prouincia iacturam fecisset, illa intelligebat, quam Fridericus suo illam modo fructuosam sibi reddidisset. Nec tamen adeo difficile videbatur, in eundis cum potentissimo quoque foederibus, eam a possessore recipere. Primus foederi accedebat Augustus III, Poloniae rex, Princeps Saxoniae Elector, iam semel per vicini istius principis potentiam regia sua expulsus, idemque hoc subaecto, tutiorem se exinde, nouisque prouinciis auctiorem fore, ratus; altera erat Elisabetha, Augusta Russiae, quam Friderici aliquod iudicium, de vita ipsius priuata et moribus latum, vehementer pupugerat; tertius

tius Ludouicus XV, Franciae rex, cuius Suecorum respublica, annuis ab eo pensionibus adiuta, exemplum facile sequebatur.

3. Caeterum hoc inter Aufriacos et Francogallos foedus, quod ipsa sui nouitate Europam omnem ita percellerat, vt summae prudentiae ciuilis specimen haberetur, paene fortuito acciderat. Tantum enim aberat, vt perditum Borussiae regem Francogalli serio vellent, vt contra, quia Britannis cladem machinabantur, Hanoueranensis terris inhiarent, quibus occupatis, meliores in Americanis rebus conditiones sibi paratas fore arbitrabantur. Quibus cum Aufriacum illud foedus potestatem dedisset Germaniae intrandae, statim Imperatrici viginti militum millia, auxilii ferendi causa, ab iis promittebantur. Sed variis de causis ac saepe mutato, partim per fraudes aulicas, partim per diversos belli euentus, consilio, hic numerus mox ad ducenta amplius millia accreuit.

4. Ac profecto certissimum est, nisi Friderico tam periculosum ipsi foedus proditum fuisset, perniciem eius, quam deinde eius non minus ingenium, quam fortuna auertit, plane inuitabilem futuram fuisse. Nam et terrarum eius, longe distitarum et maximam partem patentium, situ, et ipsius regis securitate foederati ad ineundam expeditionem eiusmodi valde inuitabantur, quae parabilibus aliquot triumphis similior, quam molesto bello, fore videretur. Sed haec astuta consilia, iusto maturius euulgata, vehementer imminuebant periculum principis, eius praesertim, qui, inaudito adhuc exemplo, ad bellum suscipiendum perpetuo paratissimus, omnibusque magni ducis bellici virtutibus abunde instructus, ducenta militum exercitatissimorum millia ad

nutum prompta, et immensam paene auri argentique vim in thesauris repositam haberet. His omnibus quum summum eius ingenium prudentissime uti sciret, postquam aulam Vindobonensem, licet saepius rogatam, tamen vidit, pacem tutam sibi praestare nolle, praeuenire hostes repente decrevit, bellumque adeo iis intulit.

5. Vix tum parare bellum foederati coeperant: deerat omnibus pecunia, maximamque adhuc partem in statiuis a Pyrenaeis inde montibus ad mare Caspium quiescebant destinatae bello eorum copiae, quum ecce! Borufforum rex, anni MDCCLVI mense Augusto exante, gigantis in modum, stratis exciti, cum sexaginta millium exercitu in Saxoniam irrumpit, cuius terrae possessione carere non poterat, si Bohemiae fines intrare vellet. Ipse quum foederatum haberet neminem, praeter Georgium II. Britanniae regem, qui, terris Hanoeranensium metuens, cum eo belli societatem inierat, cuius quidem commoda non nimis prope abfutura videbantur; non nisi a celeritate incursus et expeditionum impetu salutem suam pendere vidit. Itaque tripertito agmine, se ipso, Ferdinando Brunsvicensi, ac Beuerenio, ducibus, Saxoniam ingressus est, quorum omnium coniunctionem prope Dresdam fieri iusserat.

6. Ibi primus de Friderici profectioe nuncius aulam vniuersam horrendum in modum perculit. Secreti statim fiebant conuentus, quibus Bruchlius Comes praecerat, regi proximus, qui non tam insigni rerum ciuillum peritia, quam Lucullea profusione, ac regem suum in potestate habendi artibus, inclarauerat. Quare tum quoque, tam exulceratis rebus sanandis, omnium, quae quidem adhiberi poterant, pessima medicina fuit adhibita. Summa enim festinatione contractus Saxo-

num

num exercitus, qui fere quatuordecim millibus constabat, prope Pirnam, non procul a Bohemiae finibus, castra iussus est ponere; quorum cum locus ipse natura esset munitissimus, tum longe munitiora ac paene imperuia ars efficiebat, quae insuper accefferat. Sed qui a ferro Borussiae tutos se praestare voluerant, multo illi formidolosiores obliti erant hostem castris excludere, qui a tot inde saeculis tot exercitibus cladem, tot magnis belli ducibus fugam, tot victoriis terminum, tot denique bellis finem subito attulerat, famem. Quam profecto cum horrendis suis effectis, consentaneum erat, ignorari ab eo homine, qui Asiatico more solitus vivere, nec de inopia vnquam cogitans, exiguos ac paene nullos apparatus ad sustentandum principis sui exercitum, alioqui satis animosum ac fortem, faceret, quin splendidissime cum suis eo ipso tempore periculossimo convivaretur, quo nonnisi quindecim dierum cibi ac pabula in castris essent. Itaque exercitus, vallis abunde, cibariis parum instructus, in copiis Austriacis, Braunio, (*Browne*) Comite, ducente in Bohemia quam celerissime coeuntibus, spes suas omnes reposuerat.

7. Interim Fridericus, Saxoniam ingressus, eam plane sibi retenturus videbatur, quanquam, se illa non nisi pro deposito vsurum profiteretur; quod dicere nostris temporibus solent ii, qui, vicina regione potiti, hostiliter in eam irrupisse, videri nolunt, contradicentibus vt plurimum aduersariis, et verum rei nomen imponentibus. Itaque ad alendos suos exercitus ingentes frumentorum, pecorum, et pabulorum copias ciuibus imperare; Torgauamque urbem munire ac tormentis, per varias Saxoniae vrbes hinc inde repertis, vndiquaque instruere. Ad hanc urbem muniendam aliquot ci-

uium et rusticorum millia, mercede ab initio conducti, adhibebantur; eadem quoque sedes erat curatorum omnis rei bellicae et aerarii militaris, quo omnes pecuniae, Saxoniae incolis imperatae, essent conferendae.

8. Rex ipse, a. d. IV Id. Sept. nemine resistente, vacuum copiis Saxonis Dresdam ingressus, et ipsam et palatium regium suis militibus occupabat. Neque aliter ibi tum ipse cum suis se gessit, quam pro more saeculi, studentis, vel medio in bello, maximis quibusque iniuriis, et acerbis, quin saeuis adeo exactionibus, elegantiae, humanitatis, atque officii adeo speciem allinere. Fridericus quidem in horto quodam suburbano praetorium fixerat, cuius in vicinia exercitus castra habebat. Vt igitur minus terribilem ciuibus attonitis foedam belli imaginem redderet, seque, dominum nouum, amabilem quodammodo iis ostenderet, nullam operam non dabat. Et quum non amicus modo, verum etiam hospes, ac mox belli focius haberi ab omnibus vellet; nihil omnino humanitatis intermittebat. Hoc ille consilio principum exterorum legatis non sine hilaritate summa ac iocis copiam sui facere; homines illustres, quoscunque Dresda capiebat, item vrbis magistratum, ad salutandum admittere; singulos excipere humanissime; coenare in propatulo, vt magno numero confluentes eum Saxones observarent; reginam adeo ac liberos regios salutare, qui non modo ipsum resalutandum curabant, verum etiam ad coenam inuitato cubicularios suos ad operas necessarias offerebant, quanquam ab illo neutrum horum admissum est. Nihilominus ex alia parte Dresdae tabularia obsignari, curiae claudi, nonnulli de praecipuis rei ciuili praefectis missionem accipere, apparatus tormentorum omnis ex armamentario Dresdensi

denſi Magdeburgum aſportari, aeraria Saxoniae omnia occupari; denique omnes inter Dresdam et Saxonum caſtra commeatus intercludi, ita quidem, vt, praeter currus cibariis, Poloniae regi ſubuehendis, vtriuſque regis veredarios, ac miſſos vtrinque tubicines, via, eo ducens, nemini pateret.

9. Scilicet etſi proditum Friderico foedus, ad eius perniciem initum, fuerat, vti diximus, et ipſe multarum litterarum, non minimi ad rei ſummam momenti, eo pertinentium, exempla deſcripta erat naſtus; tamen haud parum obſcuritatis in re tota reſtabat. Idem tamen, quum intelligeret, nec ſine accuratori conſiliorum aduerſus ſe initorum notitia, ſe ſeruari, nec ſine archetyparum litterarum fide, ſuam in terras Saxonicas irruptionem, quae omnem Europam aduerſerat, defendi fatiſſe poſſe, neceſſitatem ſibi impoſitam videbat hanc, vt tabulario aulae Saxonicae potiretur. Quam eius voluntatem haec quum praeuidiſſet, curatum erat, vt haec reipublicae cimelia in reginae conclaue transferrentur, quorum illa ſola clauem tenebat, eiſque tanquam theſauro pretioſiſſimo, incubabat. Eadem igitur, quum Friderico, cui erat infeſtiſſima, tradi ſibi iſtas chartas petenti, praeſraſte negaſſet; Vinterfeldius, belli dux, Friderico in paucis carus, vir non bello fortior, quam vita et moribus elegantior, ab eo ad ipſam eodem conſilio miſſus eſt. Qui quanquam eo uſque progrediebatur, vt, ſupplex eius genibus allapſus, obſecraret, ne regis ſui voluntati diutius vellet obſiſtere; tamen incuſſum precabatur, et pertinaciſſime illa renuebat. Sed vix ille e conſpectu eius abierat, quum, ecce, alii miſſi aderant, militari more acturi, et clauſa ſcrinia ferreis machinis effracturi. Quae illa corporis ſui obieſtu rata

fatis se defensuram, brachiis expansis ante scrinia constitit. Verum nihil hac quidem constantia aliud effecit, nisi ut maiori contumelia afficeretur. Nulla enim vel clamorum eius, vel peruicaciae habita ratione, ab illo loco vi asportata, et quas habere optarat, chartas, his Fridericus statim potitus est.

10. Atque haec parum modesta regii corporis contrectatio, quantumvis ipsa rei necessitate excusabilis, rarae cuiusdam crudelitatis specimen apud omnes habebatur. Quae, in maius utique aucta, quum ab iis, quibus acciderat, ad omnes exterorum aulas perscribenda curaretur, omninoque ea, quae in Saxonia Fridericus egisset, quam inuidiosissime narrarentur; factum est sane, ut et hostium eius augetur numerus, et multorum amicorum in ipsum studia frigescerent. Constat, Ludouici XVI, Franciae nunc regis matrem, tum Delphini coniugem, eandemque reginae Poloniae, tum adeo afflictae, filiam, Ludovico XV, focero, supplicem multis cum lacrymis ad genua accidisse, orantem, ut regiis ipsius parentibus, patriaeque simul, opitularetur. Posthabitis igitur iis, quae ciuilibus tum prudentia suasisset, ille paulo magis iam serio immiscere ei sese bello coepit, quod veris regni sui commodis vehementer oberat, et quod ipse adhuc non nisi ludum et iocum aliquem habuerat.

11. Nihilo tamen minus multi operam magnam dabant, ut pax inter Borussiae et Poloniae reges reconciliaretur; in primis Stormontius et Calcoenus (*Calkoen*) ille regis Britannorum, hic Batauorum, legati, omni virium nisu in hanc rem tam salutarem incumbebant. Ac Fridericus quidem postulabat a Poloniae rege, ut, quo neutras se partes sequi ostenderet, exercitum suum in
 statiuā

statiua sua dimitteret. Hic contra, etsi neutrum se volebat videri, tamen facto ipso firmare hanc sententiam nolebat, immo conceptis verbis suos hortabatur, vt, pro regis sui maiestate defendenda, mortem fortiter oppeterent. Atque etiam hi profecto ipsi, quos pridem constat, principum suorum, qualescunque tandem hi sint, vehementissimo amore ferri solere, ei se rei, dicebant, fore paratissimos. Et quamuis iam tanta castra cibi inopia premerentur, vt et viris et equis tertiae quotidie demensi portio subtraheretur; tamen, vt primum inaudierant, Austriacum appropinquare exercitum, qui iam tum in Bohemia septuaginta amplius millia compleuerat, Saxonum animi vehementer augebantur.

12. Braunius enim, vt nihil non tentaret ad eos liberandos, grauissima ab aula sua imperia acceperat. Quod si contigisset, vt, tam experto sub duce, vterque exercitus coniungeretur, haud dubie longe alia deinde belli facies fuisset. Quod ipsum quum nec Friderico obscurum esset, maiori hinc studio conabatur Saxonum castra cingere, et iis omnem auxilii spem plane praecidere. Eo consilio Keithius, belli dux, magno cum exercitu, vt Austriacorum motus obseruaret, in Bohemiam praemissus est, Suerinio, Comite summo rei militaris praefecto, iam e Silesia, cum triginta quinque militum millibus in eandem regionem profecto, qui non procul Reginaegradio (*Königsgrätz*) castra posuerat. Vtrotque exercitu, animus erat regi, hostes in suis ipsorum terris ita occupare, vt de Saxonibus liberandis cogitare iis minime liceret. Horum ipse deditionem in singulos dies exspectabat, quod in Bohemiam cum exercitu proficisci, prius quam de com meatu exercitui prospexisset, valde dubitabat, praesertim, quam hoc ipsius abitu, ne

Saxones Albi flumine potiti, terga eius premerent, vendum esset. Praeterea tum destituebatur adhuc idoneo vehiculorum ac frumentariarum navium numero, necdum ad superandas horribiles angustias, quae Bohemiae aditus vndique sepiunt, necessarios apparatus fecerat.

13. Braunio, Saxones liberaturo, Egra erat tra-
ficiendus, sed is naues iunctas (*Pontons*) nondum ha-
bebat. Quae postquam prid. Cal. Octobr. cum ap-
paratu tormentorum necessario, in castra eius aduectae
erant; statim cum exercitu ille movit. Hunc re in-
fecta redire per praelium coactus rex, et ipse prid.
Cal. Octobr. eodem die, quo Braunius Egram erat trans-
gressus, cum suis mouerat. Sequenti itaque die, prima
statim luce, vterque exercitus, prope Lovositium, Bo-
hemiae vicum, concurrat. Austriacus cohortes quinqu-
aginta duas, turmas septuaginta duas, tormenta duodecen-
tum, Borussicus cohortes viginti sex, turmas quinqu-
aginta sex, tormenta centum ac duo, habebant. Nebula
erat tanta, vt vix vltra duo passus liceret prospicere.
Quum ergo Braunius colles, prope Lobosam (*Lowosch*)
et Radostitiam sitos, a quibus exercitus sui acies maxime
pendebat, nondum occupasset, hinc Fridericus, Austria-
cos Albim flumen, putabat, transiisse, nec se, nisi in po-
stremum eorum agmen incidisse. Quem eius errorem
confirmare videbatur hoc, quod aliquot Croatarum et
peditum Hungaricorum millia, per vineas, ad radices
montis Lobosensis disposita, leuiter modo tela in irruen-
tes Borussos viderat explodere, quum soleat vulgo ta-
libus copiis exercituum maiorum discessus vel defendi,
vel dissimulari. Denique et equitatus Austriacorum ipse,
quum tormentorum Borussicorum ictus constanter su-
stinendo, aliis vsibus destinari a Braunio videretur, huic
regis

regis opinioni fauebat. Itaque per nebulam, ita, vt neutra pars alteram videret, pugnabatur, Rex tamen interim colles occupandos curauerat.

14. At Braunius, cuius et ala sinistra et media acies paludibus et altis locorum difficultatibus aduersus omnes insultus satis tutae essent, ad Lovositium (*Lowo-sitz*) maxime vicum, qui dextrum aciei latus tegebat, animum intenderat, eiusque, lectissimis peditum quibusque ac tormentis muniti, primos aditus insuper magno tormentorum aggere ac vallo obseperat. Circa meridiem, euanescente nebula, quum se exercitus mutuo conspexissent, Borussorum equitatus Austriacum iusto ordine aggressus, facile in fugam vertit. Sed dum nimio impetu intra tormentorum ictus vsque eum insequitur, incredibili ictuum e tormentis vehementia multis amissis, repellitur. Hinc porro Borussi Croatas e vineis deiecere conati, quarum sepibus ac maceriis hi pro vallo utebantur, aegre tandem, quod voluerant, efficiebant. Iam Braunius, quum colles per lectissimas peditum cohortes occupare aggressus esset, qui eos tenebant Borussi, incredibili fortitudine his resistebant, quin adeo chiliades quaedam, quas puluis pyrius cum plumbo defecerat, praefixis verutis, irruentes in se hostes retundebant, ac telorum umbrionibus, tanquam clavis, ictus iis inferebant. Sic acerrime pugnatum est, donec Austriaci, colle deiecti, in vicum Lovositiensem refugissent. Quorum confusionem Borussi suam occasionem rati, vico incenso, eiectisque inde hostibus omnibus, ad victoriam momentum fecerunt. Braunius magna arte receptum tegebat, victori campum relinquens, in quo pugnatum fuerat. Et quanquam victas manus non dederat, tamen vtra pars vicisset, dubium esse minime sinebant, quae sequeban-

quebantur, vtut plures e Boruffis ceciderant, et vtraque pars captivos fecerant.

15. Atque haec prima erat belli maxime memorabilis pugna, quae ab hora inde matutina septima ad pomeridianam tertiam durauit, ac veluti praerogatiua victoriarum fequentium Borufficae virtuti fuit. In ea victores occiforum, vulneratorum et captiuorum tria millia cum trecentis; victi contra, aliquoties centenif pauciores amiferant.

16. Iam Braunius, Egra rurfus traiecto, alia de Saxonibus liberandis inire confilia cogebatur. Itaque decretum eft, vt hi, ea nocte, quae a. d. V. Id. Oct. antecedebat, prope Regium Lapidem (*Königstein*) Albim transgreffi, Boruffos vtrinque communiter cum Auftriacis inuaderent. Sed quum infignis pluuia tempeftas hoc impediiffet, res in tertium diem dilata eft. Interiecto hoc tempore, paene inaeftimabili Fridericus vtebatur ad augendas per Albim fuorum ftationes, et arborum fratarum feptis muniendas. Nam dextrum huius fluminis littus prope Pirnam et Regium Lapidem, altiffimorum montium, denfis faltibus obfitorum, iugo clauditur; quibus autem vallibus hi montes difcernuntur, eae mera loca habent inuia, integro praefertim exercitui, cui imminens perpetuo hoftis editiora iam ante occupauerit. Saxones Albim transgreffi, quanquam fe fperabant, de Auftriacorum adventu aliquid audituros; tamen nulla fociorum reperiabant veftigia, quum hi quidem per Borufforum copias aditu arcerentur; anguftos contra Bohemiae aditus alii rurfus Boruffi occupaffent. Et tamen illi ad radices Liliorum Lapidis (*Lilienstein*) inftituere aciem conabantur. Quod quum fruftra, propter locorum anguftias, tentaffent, tandem fine ordine, moefti, ac
peffima

peffima quaeque exspectantes, castra ponebant. Cuius miseriae non parum iam auctae causa haud dubie erat in eo, quod nec Austriaci, nec ipsi Saxones locorum satis gnari, caeco tantum impetu consilia agitarant.

17. Statim post eorum discessum castra Saxonica occupabant Borussi, qui in extremum eorum agmen incidentes, non modo milites ipsos capiebant, verum etiam maxima impedimentorum ac tormentorum parte potiebantur. Nam vtraque, licet magni ad exercitum iuandum momenti, ponte rupto, reliquum agmen sequi non potuerant.

18. Ac nunquam profecto bene compositus fortissimae nationis exercitus iniquiore conditione fuisse censendus est. Redierant sane Caudinae veteres Furculae; in quibus si iam nullum comparebat iugum Samniticum, id non nisi prorsus immutatis post duo et viginti iam saecula hominum ingeniis ac moribus erat tribuendum. Vexabantur fame Saxones vehementissima; accedebat impedimentorum iactura et asperrima anni tempestas cum frigore; quo per tres dies totidemque noctes, sine cibo ac potu, sub armis esse cogebantur, ut de bellici comatus inopia nihil dicamus. Iam sub dio agebant, cincti hostibus undique vigilantissimis, omnibus salutis praesidiis, quin ipsa adeo sine, destituti. Pendebat ab una victoris clementia ipsorum conditio, quem tandem consentiente Augusto, de ferendis conditionibus adibant. Sed hae ab eo ferebantur, non modo exercitui, verum etiam regi ipsi, longe durissimae. Iussi omnes arma ponere; ordinum ductores dimissi; decuriones autem cum gregariis, sine discrimine Borussiae regi fidem coacti obstringere.

19. Sic tantam rex Poloniae ignominiam, quantam a multis retro saeculis nullus Europae principum, expertus fuit. Amisso enim repente exercitu integro, eoque sibi deditissimo, vix iam ei supererant aliquot corporis custodes, quos, praeter exiguum pedisequorum comitatum, in Regio Lapide, secum habebat. Omnia quoque mitiorum conditionum a victore impetrandarum studia incassum suscepta, qui sua ipse manu ad singula tam memorabilis ad omnem aetatem pacti capita respondebat. Eorum nonnullis, quae de militum captiuorum necessitatibus agebant, quam breuissime vnum verbulum: *Recte!* subscripserat; omnibus autem et singulis eas responsiones subiecerat, quae imperiosum victorem produnt, plura etiam, quam a victo postulari fas sit, arbitrantem, a se concedi. Sic impense Augustus quum petiisset, vt satellites certe suos, lectissimos milites, retinere sibi liceret; Fridericus respondebat durissime, ita vt facile, fortiorem cum infirmiori loqui, sentias: "*Eandem et his vna cum reliquis sortem subeundam esse, quoniam non tanti sint, vt bis capiantur.*"

20. Decem itaque Saxoniorum peditum chiliades integrae, non nisi vestes Borussicas, signa, et duciores acceperunt, reliquae contra, cum equitatu omni, Borussiae chiliadibus insertae.

21. Caeterum, quod tum Fridericus integrum externi principis exercitum victori sibi militare coegit, eius facti nullum fortasse exemplum in omnis aevi memoria reperitur. Ac profecto nimium ille confusus fuerat partim hoc, quod Augustus exercitum alere iam non amplius posset, partim quod eius copiae, domino destitutae, necessariis omnibus carerent; nullam contra rationem innati omnibus in patriam ac principem amoris habue-

habuerat. Tanto maiori mox hunc ipsum ille cum admiratione propullulantem animadvertit. Etsi enim minime dubitarat, fore inter Saxones, sacramento adactos, qui singuli transfugerent; tamen, integras cohortes ac chiliades, obfirmato animo, densatis ordinibus, signa deferaturas, ne per somnium quidem cogitarat. Pleraeque seruatibus ordinibus discedebant, cum signis militaribus, vel Poloniam, vel castra Francica petentes. Quamuis enim Borussiae rex, ut suae militiae commoda iis commendaret, plurimos inferiorum ordinum ductores in superiorum locum promouerat; tamen tam parum hac liberalitate apud eos profecerat, ut hi ipsi reliquis ad transfugiendum auctores fierent, caeteros autem ductores, qui vna nollent sequi, abire statim cogent.

22. Lapidis Regii castellum quum, ex pacto, neutrarum partium, durante toto bello, esse, conuenisset, Poloniae rex, qui in eo pugnae euentum exspectarat, commeatum cum suis a Friderico itineris Polonici acceperat; in quod regnum etiam statim profectus est. Quam deiectus animo per iniquitatem fortis suae fuerit, e litteris, ad Rutovicium, (*Rutowsky*) exercitus Saxonicum summum ducem, prid. Id. Oct. ab eo datis, intelligitur, quarum hoc exemplum erat: "*Quid iam aliud, quaeso, nisi prouidentiae diuinae parendum est? Equidem quum rex sum liberrimus, talis et viuum et moriar. Tuis manibus exercitus mei fortunam trado. Vestrum belli consilium deliberabit, sitne mors honesta, ferro vel fame subeunda, optabilior, an deditio?*" Interceserat quoque tum inter vtrumque regem litterarum commercium mutuuum, primum de neutris partibus sequendis, deinde paulatim de ineundo adeo foedere. Sed quum animum Augustus obfirmasset, eum abeuntem
Frideri-

Fridericus a. d. XVI. Cal. Oct. humanissimis litteris comitatus est. Quibus in litteris reges, quum *fratres* mutuo se appellent; nomen hoc blandissimum, tali praefertim tempori impositum, ad posteritatem commemorari profecto meretur. Caeterum summus abeunti honos habitus, ut etiam ipsae militum Borussiae stationes, qua regi eundem esset, remouerentur, ne forte ingratus eorum aspectus tristem praetereuntis animum oculosque offenderet.

23. Atque haec primi anni expeditio fuit. Austriaci altius Bohemiam ingressi; Borussiae in Saxonia et Silesia per hyberna dispositi. Fridericus, hyemem Dresdae transigens, quam paulo ante regionem, depositi loco se habiturum aiebat, iam plane ut prouinciam tractabat, ita, ut partim aulae Saxonicae administratos frequenter ad se vocaret, partim de omnibus ad rempublicam pertinentibus mandata distribueret, partim denique Ordinibus Saxonice decem militum millia, in exercitus sui supplementum, imperaret.

LIBER II. ANNVS 1757.

CAP. I. Qui belli societatem inierant, Europae reges ac principes, incredibiles ad sequentis anni expeditionem apparatus suscipiebant. Exciti sedibus suis Francogalli, Sueci, Transylvani, Itali, Belgae, Cosacci denique cum Calmuccis mouebantur. Quibus paene omnibus, quum, vel in summa voluntate, pecuniae deessent, conquirebantur artes vndique, per quas vel mutuo illae praesentes fumerentur, vel paulo fortunatiores inducerentur, ut necessaria bello repraesentarent. At Borussiae rex omnes suos hostes superabat eo, quod his praefertim

praefidiis plane non indigeret. Nam, ut eius copiae, necessariis omnibus abunde instructae, ad bellum sequentis anni proficiscerentur, non modo fiscus eius, argento plenissimus, verum et Saxonia, pingue depositum, effecerant. Atque omnino Saxonici omnium ordinum ciues, propter religionis, et linguae, morum, atque etiam animorum similitudinem Boruffis longe, quam Austriacis, aequiores, si modo bellandum esset, ut cum illis potius, quam cum his societatem Augustus iniret, exoptabant. Neque etiam tum a Boruffis admodum dure tractabantur. Nam praeter commeatus, militi subuehendos, satis illos tolerabiles, et prandia singula, collocato in aedibus militi per singulas hebdomades apponenda, et alia quaedam parua inconuota, nihil admodum molestiae Saxoniarum terrarum incolae sentiebant, immo amice cum Boruffis conuersabantur. In regia certe Dresdeni, spectacula, saltationes, coetus personatos, et concentus musicos agi vidisses, hosque paene quotidie apud ipsum regem, quibus hic, tot tantasque eodem tempore hostium minas expertus, tibia accinebat.

2. Non vna tamen ratione haec animi regii tranquillitas, et philosophia non magis, quam virium conscientia orta, per id tempus turbata est. Accidit enim, illa hyeme res eiusmodi, cuius accuratiorem notitiam neque nunc habent, nisi paucissimi, neque verum rei gestae ordinem ante huius exitum saeculi, scriptorum Germanicorum vlli litterarum monumentis consignare fortasse licuerit. Hoc certe constat, de Friderico per venenum tollendo cogitatum fuisse. Quod facinus ut exsequeretur, pretio conductus erat pedissequorum eius quidam, Glasauus, regi tam carus, ut in eodem saepe conclaui uterque somnum caperent. Conficii sceleris

erant omnino paucissimi, iique tales, a quibus, haud verendum esset, ne secretum proderetur. Ea ipsa demum hora, qua scelus erat erupturum, quum regi, casu quodam fortuito, suboluisset, vitam suam peti; Glafavius ad eius pedes prostratus supplex veniam petebat, sed irrito euentu. Nam comprehensus statim, rege praesente, a iudicibus interrogatus, postridie in vinculis Spandauiam abductus est, vbi in carcere occultissimo paulo post miserrime vitam finiit. Cuius hominis secretum, vt omnium omnino hominum notitiam effugeret, quantae regi curae fuerit, vel hinc patet, quod medicum adeo ad eum morientem admitti vetuit.

3. Quod autem moderatius etiam tum in Saxonia rex Borussiae agebat, in causa erat hoc, quod de pace cum Augusto rege ineunda nondum desperabat, quam pacem huic obtulerat liberalissime. Sed altius scilicet eius animo vulnus recens inflictum infederat, et arctiora erant cum Auftriacis et Russis foedera, quam vt, praesertim feliciter indies rerum conuersionem sperans, Borussiae conditionibus aurem praeberet. Contra ea legatorum eius querelis, quibus tam potentium sociorum auctoritas pondus addebat, et comitia Ratisbonensia, et omnium Europae principum aulae personabant. Impedita odiis animi aequabilitate, tam obliuiosi tum videbantur rerum omnium facti esse viri, alias vel doctissimi, vt Friderici in Saxoniam incursum in omni aevi historia exemplo carere contenderent. Neque vero his querimoniis euentus defuit. Non enim tantum socii omnes, duplicatis studiis, belli apparatus ingentes continuabant, verum etiam conventus reipublicae Germanicae Ratisbonensis, fractum illud pridem proscriptionis veluti telum in regem Borussiae vibrabat, qua ille,
 terris

terris suis omnibus ac dignitate exuendus, legis comitialis formula sollempni, hostis iudicaretur. Quod iudicium ut vim suam haberet, nulla tum habita intercessionis, et clamorum, qui a Borussiae regis amicis in illis conuentibus fiebant, ratione, collectus est ex omnibus Germaniae populis exercitus, venerando *Exsequutoris Imperii* nomine, ne vana essent, quae plurimum suffragia in illis comitiis decreuissent, effecturus. Sic caeteris exercitibus haud paucis, Fridericum plane perdituris, quum hic quoque accessisset, multi iam, delatum propediem fore, haud vanis, (vti quidem ipsi putabant) coniecturis augurabantur.

4. At Fridericus, cui iam nihil superesset, nisi, ut collectis vndique armorum viribus, ingruenti belli tempestati intrepidum vbique animum opponeret, haud paulo inde liberius in tractandis Saxoniae vectigalibus versari, praefectis reipublicae omnis generis salaria vel minuire, vel plane non soluere; quae adhuc sustentandis collegiorum civilium ac tribunalium praesidibus et administris impensa fuerant imperialium annua centum et nonaginta millia, ad tricena redigere; et sic in aliis, paene omnibus. Sic magnae antea in aula auctoritatis fuerant sacerdos, reginae a confessionibus; et musicorum dramatum magister. Quorum quum adhuc ille duodena, hic quindena imperialium millia, salarii loco accepissent; binis hinc iam iuebantur esse contenti. Incredibilis porcellanae supellectilis copia, partim Dresdae, partim Misenaere reperta, Borussiae nomine praedae in modum vendita. Eam omnem ducentis imperialium millibus auctionis lege coemtam, mercator quidam Saxonicus, fundum postea habuit, vnde, tanquam Croesus alter, immensas paucis annis opes colligeret. Nam in

Daniam profectus, ad proximum ibi a rege locum breui quum adscendisset, ditissimus priuatorum omnium, quotquot in Septentrione vixerant, diem obiit supremum.

5. Caeterum arcem regiam Dresdensem intactam Fridericus reliquit. Qui quidem Pœcilen illam (*Bildergallerie*) vrbis incomparabilem, quam saepius frequentabat, tantum aberat, vt imagine vlla spoliaret, vt eius custodes largissimis muneribus donaret. Sed contra infestiori erat animo in Bruehlium, Comitem, quem auctorem foederis, ab Augusto cum ipsius hostibus initi, arbitrabatur. Huius enim et palatium et horti splendidissimi, regiae ornamentum, et publico omnium vsui destinati, tum vastabantur, neque hodie pretiosissimae domus rudera non monumenta sunt vindictae talis, qualem ab rege, praesertim philosopho, nemo expectasset. Etiam tirones ex omni Saxonia, Borussis militaturi, paulo acerbius cogebantur. Quod ne fieret, quum summis precibus Augusti regis filius natu maximus petiisset, a Friderico responsum tulit hoc, *ne talibus rebus ultro se immisceret.*

6. Iamque per omnem Germaniam tanti fiebant belli motus, quanti nunquam a pluribus inde saeculis, nec tam communi studio erant facti. Nec ullo recentioris aevi tempore, ne tum quidem, quum Carolo V, et Ferdinando II. Imperatoribus, sacrorum causa, in sua Germani viscera saeviebant, tanto feruore bellum parabatur, quanto tum, quum omnes Germanorum republicae, maiores, minores, arma pro defendendis siue vnus, siue duplicis Aquilae insignibus sumebant. Iamque colligebatur Germanicus ille exercitus, qui venerabile

rabile illud olim rerumpublicarum Germanicarum foedus non parum deridendum aliis propinabat, quum iis, qui sacras olim in Palaestinam expeditiones suscipiebant, fortasse non esset dissimilis. Nam, si a Bauaris, Palatinis, Virtembergensibus, et aliis paucorum imperii Ordinum militibus discesseris, reliqua erat, veluti Nomadum ferocientium, catervis distincta, colluies, quae varios oculis colores obiiceret. Erant in Sueuia et Franconia, a quibus pauci modo milites mittendi essent, alii, a quibus ductores singuli sine militibus, (hi plerumque rusticorum filii, aratro subtracti) alii denique, a quibus singuli tympanistae, qui ex armamentario veteri depromptum tympanum gestarent. Subulci tibicines militares agebant, equi rusticorum macilenti defultoriis equitibus ferendis destinabantur. Praefules Germaniae, quorum animos tantorum regum ac principum societas vehementer inflabat, coenobiorum suorum apparitores, deposito vestitu consueto, castra sequi iusserant. Ac diuersissima prorsus horum hominum erant arma, vestitus, impedimenta, et reliqua omnia, qui, quum vndique confluiscent, militum nomine cohonestabantur, et a quibus maxima quaeque sui expectabant.

7. Interea Borussi, quo coniuncta hostium consilia eluderent, nihil non agebant, vt quam maturime ex hybernis in bellum proficiscerentur. Quorum hostium maxime formidandi quum essent Austriaci, hos inprimis summa opum vi petendos sibi Fridericus statuebat, vt, antequam reliquorum copiae accessissent, magnum aliquid efficeret. Plane contrarium consilium sequebantur Austriaci, qui tamdiu se decreverant ab hoste defendere, donec, coniunctis sociorum copiis, vndique petitus Borussiae rex plane deuinci pos-

set. *) Braunius igitur, defendendae Bohemiae caussa, omnem exercitum suum in quatuor partes, paulo maiores diuiserat. Quod etsi ita instituerat; tamen Fridericus quatuor exercitibus illud regnum intrabat. Quorum unus, sedecim millium, quem Beuerenius ducebat, quum offendisset hostilem millium viginti, qui, Königseccio Comite duce, ad Reichenbergam castra munierat; eum statim aggressus, mille amplius vel occisis, vel vulneratis, vel captis, cacteros in fugam vertit. Quo praelio commisso, Beuerenius ulterius progressus, non ita multo post Suerinii, summi copiarum praefecti, exercitui, qui Trautenauia in Bohemiam irruperat, suum coniunxit.

8. Statim post Fridericus Moldam traiciebat, in conspectu hostium, qui, tametsi copias suas in vnum locum collectas habebant, tamen exercitum eius, non magnum, eumque praeterea a reliquis seiunctum, inuadendi occasionem, nunquam fortasse reituram, e manibus dimittebant. Quod haud dubie accidit discordia summorum exercitus Austriaci ducum, quae variis modis erumpebat. Modo enim Carolo, principi Lotharingico, subiectus fuerat Braunius, ita quidem, vt ille summum exercitus imperium haberet.

9. Prid. Non. Mai. igitur, matutino tempore, omnes exercitus Borussici, circa Pragam collecti, quum prope hanc urbem conuenissent, (exceptis, qui Keithio et Mauritio ducibus, Moldam nondum traiecerant) post aliquot

*) Contrarium non modo statui, sed et quam vero simillime doceri videas in *Tempelhofii Historia Belli septennalis*, Tomi I. p. 125 - 128. *Nota Interpretis.*

aliquot horas praelium exarsit tantum, quantum vix omnis aevi historiae prodiderunt. Borufforum, qui quidem in pugnam ipsi venerant, duodesseptuaginta, Auftriacorum septuaginta sex millia, fuisse constat. Auftriaci montes tenebant, quos infuper munierant. Huc aditus non erat, nisi per prata paludosa, per piscinas, quarum aluei, eductis aquis, coenum cum graminibus habebant, per angustos aggeres, per ligneos denique ponticulos, qua non nisi singulis liceret incedere. In castris adeo munitis quum eorum pedites versarentur, equites autem pabulatum essent dimissi, Friderici copiae propius accedunt. Vnde Carolus, princeps, pabulatores reuerti iubet, tanta quidem celeritate, ac festinatione, vt plurimi eorum, sine militari veste, non nisi linteis induti, pugnare cogentur. Quanquam igitur summa loci erat iniquitas, peditatus tamen Borufforum admiranda virtute in hostes irruebat. Nam quum alii vix manipulatim (*rottenweise*) aggeres transire possent, alii per pratorum loca humida nitentes, paene singulis gradibus in coeno haerent, integrae denique chiliades ad genua vsque paludibus demergerentur; non nisi summa virium intentione omnes eniti poterant, atque ita, vt alios alii adiuuarent, vniuersi autem animos sibi inuicem adderent. Vnde non mirum, quod nonnullae adeo cohortes tormenta sua, licet in tali re admodum sibi profutura, relinquere cogebantur. Tandem, post horam pomeridianam primam superatis difficultatibus cunctis, vt primum aciem ordinare licuerat, nullo requiescendi spatio fessis corporibus dato, magna vi Borussi impetum in hostes faciebant, a quibus horrenda globorum e tormentis grandine excipiebantur. Iusserat quidem suos rex, non explosis sclopetis, sed statim praefixis verutis, conferto agmine in hostes irruere, verum, quod hi tormenta sua,

plumbi ferrique segmentis instruxerant, quibus integri Borufforum ordines profternerentur, victa per ipsam humanitatem virtute, hi recedebant.

10. Interim equitatus etiam vtrinq̄ue manum coeperat conferere. Schoenaichius, Princeps, qui Borufficum ducebat, aliqua huius parte Auftriacum aggressus, primam aciem mox deiecerat; sed a cornibus vtrinq̄ue circumuentus, per secundam repellebatur. Restitutis tamen idem ordinibus, et nouis auxiliis auctus, denuo in hostes facto impetu, momentum pugnae faciebat. Nam Auftriacorum equitatus plane disiectus, et ad pedites suos repulsus, horum ipsorum iam ordines turbabat. Quod quum animaduertissent velites (*Husaren*) Boruffici, hac occasione vsi ad pedites caesim perdendos, confusionem istam hostium augebant.

11. Suerinius interea, summus belli dux, magno-pere conatus, repulsos peditum ordines restituere, denuo hostes aggreditur, quin adeo, quum equo descendisset, in prima acie consistens e signiferi manu ereptum signum caeteris praefert, quod viam illis victoriae ostenderet. Quae sane a Boruffis reperta calcabatur, sed ita, vt praeclarus signifer, tribus glandibus prostratus, regis sui signo totus contegeretur.* Cuius exemplum plures ducum secuti, suos et ipsi pedibus ad hostem ducebant, Henricus maxime, regis frater, qui et ipse pedes, primusque suorum, aggerem tormentarium hostium occupabat. Ac iam tota Borufforum acies in
Auftri-

*) Fuere, qui huius viri mortem cum P. Decii deuotione compararent. Sed, quod salva virtutis Suerinae gloria licet dicere, nobis quidem vtraque res videtur esse admodum dissimilis. Nam *primum* huic, vel in praesentif-

Aufriacos irruerat, quorum ordines ita erant turbati, vt alae ipforum paululum diffoluerentur. Qua re ce- leriter animaduerfa, Fridericus vacuum inter vtramque spatium cum fuis occupans, vtramque plane diuulfit, ita, vt iam duo effent Aufriacorum, iique fatis nume- rofi, exercitus, quorum alter fuga planitiem peteret, alter Pragam a Boruffis compelleretur. Quam illi in vrbem, fumma feftinatione, necdum penfitatis eius rei effectibus, confugiebant. Sed quum primis ftatim horis, quam horrenda id confilium incommoda effet habitu- rum, coeptum effet intelligi; eodem die tentabatur eru- ptio, quanquam fine fructu, praeclufo iam a Boruffis omni ab vrbe exitu, qui Aufriacos carcerem illum fuum repetere cogebant.

12. Tantum rerum vna illa die maxime memo- rabili gefum eft, quae, fiue magnitudinem exercituum, fiue caedium vim, fiue demonftratam vtrinque virtutem, fiue denique ortae per cladem perturbationis vehemen- tiam confideres, Cannenfi illi veteri non diffimilis vide- tur fuiffe. Nam vt a Cannenfi pugna, Italiae, praeter Romam, vniuerfa fors tum pependit: ita a Pragenfi to- tius fortaffe belli euentus, nifi admodum minuta re, hoc eft, aliquot ratibus iunctis (*Pontons*) tot populo- rum mutata conditio fuiffet. Nam ea exercitus pars, quam Mauritius Deflauienfis, duxerat, quum fupra Pra- gam, trans Moldam effet, conftitutum erat, ponte flu-
B 5
men

sentiffimo mortis, in quod ruerat, periculo, falutis ta- men fpes quaedam supererat; *deinde* nec folus pugna- bat, fed cum commilitonibus; Romano contra illi, in hoftes medios ruenti, certum erat, mortem occumbere, quam vitare nec volebat ipfe, nec poterat.

men iungere, vt a tergo hostes inuadi possent. Sed quod praeter opinionem vndae intumuerant, non satis iunctarum nauium erat in promptu, vnde pons perficeretur; quare quidquid ibi erat militum Borussicorum, non nisi eminus praelium spectare cogebatur. Quod si paulo plures rates superfuissent, minime dubium est, eo die plane debellari, quin perdi adeo Austriacorum ingentem exercitum potuisset. Quo ipso immortalis plane eius diei memoria in annalibus futura fuisset. Nulla tum Collinensis, nulla Hochkirchensis, praeliorum, vnquam mentio; longe alia potius saeculi huius ab ea, quae nunc quidem legitur, rerum gestarum et facies et narratio. Nihil certe tum aliud Mauritio, in tam molesto viris fortibus otio, nisi confugientes e praelio ad exercitum Daunii Austriacos tormentorum globis petere, terrendi causa, licebat.

13. Borussorum eodem die vndecim millia, partim caesa, partim vulnerata, mille quingenti et quinquaginta capti. Ex Austriaco exercitu caesa et vulnerata duodecim millia, capta octo millia; praeterea sexaginta tormenta, cum aerario bellico, et impedimentis multis in potestatem victoris venerant. Ex ipso praelii loco rex matri haec scripserat: "*Ego et fratres recte valeamus: Austriacis fructus belli omnis, hunc certe in annum, periit, mihi contra cum centum quinquaginta millibus agendi liber campus patet. Potiti sumus eo regno, vnde et pecuniam et militem licebit sumere. Equidem partem exercitus, vt periculum belli cum Francogallis faciat, mittam, cum caeteris Austriacos persecuturus. Vale.*"

14. Quantumcunque vero, tam horrenda sanguinis copia profusa in hoc praelio, Europa sperare videbatur

batur posse; tamen euenerunt alia omnia, nec tam propter eos effectus haec pugna memorabilis est, quos habuit, quam propter eos, quibus caruit. Nam, quum omnes crederent partem exercitus Austriaci profugam ferro perditum, obsessam ignibus ac fame ad deditionem compulsum iri, ecce! elusa Borussorum spe, fortuna belli nouos animos eorum hostibus addebat. Caeterum hoc praelio vterque exercitus, insignis alicuius ducis iacturam fecerat; Borussicus quidem Suerinii, quem in arte militari praeceptorem, ereptum sibi Fridericus iugebat, et cui deinde finito bello, Berolini statuum fieri iussit; Austriacus contra Braunii, qui ex vulneribus in praelio acceptis, quum superstes ante miseris obsessae urbis omnibus fuisset, Pragae decessit.

15. Iamque haec urbs iustae molis exercitum intra moenia habebat; quum, praeter praesidiarios, quinquaginta militum millia, in his magnos belli duces, Augusti, Poloniae regis filios, Ducem Mutinensem, quin ipsum adeo Carolum Lotharingicum, moenibus suis contineret; neque si Alexiam (a Iulio Caesare) obsessam exceperis, vlla vnquam Europae urbs tam numerosum praesidium haberat. Ac iam omnes huius nationes, tam sociae bellantium, quam neutrae, nihil, nisi extraordinarium exspectabant. Fridericus quidem, urbis ingentis, cuius ambitus duo paene milliaria Germanica complectitur, statim obsidionem exorsus, omnes exitus, tormentorum aggeribus (*Batterien*) exstruendis, claudibat. Et quamvis ab initio Viennensis aula sperabat, fore, vt tantus exercitus, qualis tum erat Austriacus, carceris sui velut obices facile rumperet; tamen vel vehementissimi iteratique saepe conatus, quos per prudentiam summam excogitatos summa rerum exsequebatur

tur desperatio, incassum fuscipiebantur, et praesidiariis, per tormenta plurima, in aggeribus disposita, repulsis, identidem ad carnes equinas in urbem erat reuertendum. Hoc enim cibi genere primis iam oppugnationis hebdomadibus, incluso exercitui sine discrimine utendum fuerat, quum et equitum et tormentariorum equi mactarentur, singulaeque carnum istarum librae, primum binis, deinde quaternis cruciatis, (quos vocant) venderentur. Scilicet rem tam insolitam nemo praeviderat; com meatu granaria parum abundabant; milites egebant necessariis omnibus; incolae autem urbis, octoginta millia, verendum erat, ne fame ad vnum omnes interirent.

16. Sic Praga, summa vi oppugnata, et arctius indies obsessa, pyrobolis etiam (*Bomben*) et candentibus globis infestabatur; qui domos multas inflammarent, ac perpetuum adeo alerent incendium. Ipsi Borussi noctu clamores incolarum et eiulatus audiebant quam distinctissime. Quorum etsi duodecim millia, ad minuendam famem, ex urbe eiecta fuerant, tamen per obsidentium tormenta rursus ad priores miseras reiiciebantur. Post clasas quidem tres hebdomades Neapolis (*Neustadt*) tota cum Iudaeopoli (*Iudenstadt*) in cineres erat versa, in quibus etiam granaria aliquot conflagrant. Multi homines, quibus nihil cum bello erat commercii, senes, mulieres, parvuli, per pyrobolos vel enecti, vel in ipsis domibus elisi. Incredibilis in tota misera urbe rerum confusio. Viae omnes curribus et equis confratae, templa vulneratis et aegrotis referta: mistae denique hominibus pecudes, tanquam pestis tempore, interibant. Clerus, magistratus omnes, ciues vniuersi, misericordiam Caroli, Principis, quum implorassent, (qua ille, quantum-

uis

uis commotus, vti tamen tum quidem minime poterat) studebat is quidem condiciones ferre, et liberum cum suis abitum pacisci: sed, his reiectis alias Fridericus ferebat, quas accipere, turpe videbatur. Ad haec euauerat spes viae per vim et arma ex vrbe faciendae, aut salutis per exercitum Daunii, ad Collinam constitutum, consequendae. Nihil ergo obsessis erat reliqui, nisi vt fortunae se ac sua omnia permitterent.

17. Haec tum facies rerum erat Mariae Theresiae, Augustae. Omnes Bohemiae versus Lusatiam, Variscos, Saxoniam et Silesiam aditus, a Borussis obsessi; robur bellicae iuuentutis, cum ducibus praestantissimis Pragae inclusum; reliquae copiae pulsae, pauefactae, paruis agminibus dispersae, in ipso adeo patriae solo, rerum omnium inopia laborantes; regia Bohemiae, fame et flammis ad incitas redacta; praesidiarii ibi obsidione cincti, deditionem meditantes cum maxime, denique regnum totum cum terris Austriacis adiacentibus, breui, vt videbatur, in potestatem victoris absolutam peruenturum. A Saxonia nullum auxilium, terrae Imperatoris omnes hosti patebant, ne ipsa quidem Vienna iam ab obsidione satis tuta habebatur. Borussi, qui iam octies, inde ab anno saeculi quadragesimo primo, vicissent, nunc demum inuicti, eorumque regi nihil iam non peruium existimabatur. Hinc incredibilis omnium hac in vrbe perturbatio, ante portas regiae victorem se, arbitrantium, cernere, adeo, vt iam de pacis conditionibus, vel iniquissimis, ei ferendis, cogitarent.

18. Sed hunc, tam sibi fauentem, rerum statum, Fridericus ipse, incauto quodam consilio euertit, quod non nisi periculi imminentis magnitudine excusari videtur posse. Diutius paulo, quam putarat, extrahebatur Prae
gae

gae obsidio; appropinquare terris ipsius vndique, sciebat, Russos, Suecos, Francogallos, et exercitum Germanicum; vnus cuiusque diei mora, quouis auro pretiosior; denique, quum nunquam praelio adhuc victus esset; vix fieri posse credebat, vt aliquando vinceretur. Itaque maxima copiarum parte ad Pragam, continuandae obsidionis causa, relicta, cum triginta duobus millibus proficiscebatur, vt, Daunii exercitu victo, obsessis omnem liberationis spem plane praecideret.

19. Hic belli dux e Morauia venerat, fatis magno cum exercitu, vt cum maiori illo Austriaco suum coniungeret; et ipso pugnae Pragensis die nonnisi tribus ab hac vrbe milliariibus aberat. Quae eius propinquitas quum faueret fugae Austriacorum ex illo praelio; eorum profugis ille, sibi adiunctis, iam ad sexaginta millia aucto exercitu, castra in montibus ad Collinam posita diligentissime muniebat. Neque vero, hunc virum, probabile est, quum natura esset admodum cautus, et a bello aliis inferendo alienissimus, (quantumuis hoc in mandatis ab aula sua haberet) magni quidquam, aut quod momenti non nihil ad liberandos Pragae obsessos haberet, suscepturum fuisse. Accedebat, quod milites illius, animis deiecti, ipso iam Borussiae nomine audito perterrebantur. Hoc terrore vsus Dux Beuerenius, qui cum viginti millibus ei obuiam fuerat missus, in eius conspectu aliquot horrea insignia expugnabat; cui quum rex, haud paruam lectissimi roboris manum iunxisset, statim a. d. XIV. Cal. Iul. hostem petiit.

20. Interim Daunius acies suas mutarat, ita, vt altera in montis decliui, altera in fastigio staret. Qua frontem hosti obuertebat, erant vici, fauces, abrupti colles, magnam partem insuperabiles; denique eius tormenta,

menta, quae, flammis evomendis, omnem plane impetum videbantur posse eludere. Nihilominus eum Borussi, postquam rex totum locum oculis circa notauerat, ea vi tentabant, qua nulli vnquam post hominum memoriam milites erant vfi, et quae ipsos hostes in stuporem raperet. Neque vlla facile dies Borussici nominis fama dignior illuxerat, ac nescimus, an nunquam, inde a praelii ad Arbelam commissi tempore, (quo in campis Perficis ab arte Graecorum tactica, tot prouinciarum ac regnorum fors pependerit) arctius cum fortitudine artis bellicae scientia fuerit coniuncta? Septies enim Borussi hostem, opportunissimo sibi loco constitutum, aggrediebantur; quos quoties globorum, e tormentis emissorum, horribilis grando prostrauerat, et succedentes sibi invicem cohortes reiecerat, toties non tam hostibus cedere, quam pedem paulisper referre, ad restituendos ordines, et renouandum impetum, illi videbantur. Pleni furore bellico super occiforum stragem, quasi super aggestam terram, scandebant. Verum enim vero diei tam memorabilis exitum non tam ars militaris et virtus, quam casus fortuiti, rexerunt. Nam quum multa iam occupassent Borussi, alam hostium dextram, cum equitatu adiuncto fugassent, vt receptum quoque Daunius meditaretur, et optiones (*Adiutanten*) vltro citroque cum mandatis, eo pertinentibus, commearent; ecce! (velut eleuata, magno Friderici malo, lance, qua hominum et rerumpublicarum fata ponderantur) subita rerum fit conuersio. Negliguntur mandata regis sapientissima; vnus e praecipuis ducibus, caeco impetu ordines perrumpit; eoque ipso tempore, quo sine pugna, reliquae exercitus machinae arctissime cum suis iunctus, lento gradu promoveri debuerat, flagrantis pugnandi cupiditate suos, iubet consistere. Quo ipso tota acies, quum perturba-

tis ordinibus, haret; aliquot equitum Saxoniorum chiliades, qui in exercitu Daunii erant, ac dudum optarant cum Boruffis configere, ne expectato quidem ductorum imperio, summo impetu hostem aggrediuntur.

21. Certum est, quoties equitibus in pedites involare licet, toties his, nisi fuga sibi consulant, aut mortem imminere, aut captivitatem. Id apud omnes populos, bello claros, quum perpetuo ita accidisset, illa primum die praelii Collinensis, quo Borufforum disciplina militaris eorum virtutem aequabat, visum est dubitari posse. Intromittebantur enim in aciem integrae Saxoniorum equitum turmae; qua in turba, tum hominum, tum equorum, mortem minantium, integrae Borufforum chiliades, summa animi praesentia, quadratis densis hostem cateruatim urgebant, idque tam admirando ordine, ut exercitandi causa in armis viderentur decurrere. His quasi moenibus, interitum allaturis, inclusi equites iuxta cum equis, prostrati, tumulos cadauerum interiores effecerant. Nam generoso animi impetu abrepti, quum se in hos veluti magorum circulos ipsi compegissent, exitum inde non reperiebant. Sed succurrens illis Austriacorum equitatus Boruffos simul a fronte ac tergo adortus est ea vi, ut hi tandem impari pugnae succumberent. Scilicet dudum vindictam anhelabant equites Saxonum defultorii, (*Dragoner*,) quorum animis quum nondum excidisset clades Strigauensis, quam ante annos duodecim, communiter cum Austriacis, fatis tristem erant experti, multi tum eorum, ensibus ad concidendum summa vi sublatis: *Haec pro Strigavia!* exclamantes audiebantur. Quoscunque ergo hi attigissent, ii vel caesi, vel capti. Caesi imprimis Friderici satellitum cohors, mille homines, vndique lectissimi, maximam partem ex-

tranci, sed disciplinae Postampiensis, et gloriae militaris auidissimi, quae ambitio pro patriae amore ipsis inerat. Hi quum ad mortem pugnassent; eodem, quo steterant, ordine, prostrati, humum cruentatam formosissimis corporibus contegebant. Ac veluti quondam Pyrrhus, Romanos acie primum expertus, occisos horum milites stupens, contemplabatur; sic tum bellici Theresiae duces, satellites Borussiae regis prostratos admirabantur. Neque enim illo die superfuere, nisi paucissimi.

22. Borussi itaque loco Austriacis cesserant. Nam vesper erat, et, quae pars exercitus Borussici vicerat, id iam agebat, vt castra poneret, et victoriam sonitu tormentorum significaret, quin aliquot equitum chiliades ephippia equis iamiam erant detracturae, quum ecce! nuncius de amissa victoria venit, et loco cedere ipsi iubentur. Qui quidem Friderici receptus, (ne impedimenti quidem ac tormentis relictis) tanta prudentia factus est, tanto ordine, vt veluti coronis maximis rebus, eo die gestis, imponi videretur. Ipsi adeo hostes, quibus insolitus adhuc cedentium loco Borussorum adpectus fuisset, quieti abeuntes spectabant, ita vt, dispositis ordinibus, recipere se Fridericus posset. Hic eo die vndecim hominum millia amiserat; Austriaci nouem caesorum ac vulneratorum millia numerabant; tormenta iidem nonnisi quadraginta tria ceperant.

23. Non multo post hoc praelium Fridericus Mareschallo, nobili Britanno, litteris animi sui statum exposuit; in quibus inter alia sic scripserat: *Saepe nobis perniciosam nostri fiduciam fortuna inspirat. Sic tres et viginti cohortes non poterant sexaginta millia, e castris probe munitis depellere. Nos quidem alio tempore melius rem geremus. Illo enim die mihi fortuna*

tergum obvertit; quod sane odorari debueram, quum illa foemina sit, ego contra inter elegantes minime numerer. Ergo illa quoque ad foeminas, mecum bellantes, desciiuit. Quid tibi de hoc foedere, aduersus Marchionem Brandenburgicum ic̄to, videtur? Quantum in stuporem coniectum iri putas Fridericum Guilielmum, Magnum, si pronepotem suum inter medios hostes, Russos, Austriacos, Germanos paene omnes, denique Francogallorum centum millia dimicantem videret? Tot tantisque succumbere num turpe mihi futurum sit, equidem nescio; hoc scio, si me vicerint, gloriosum iis minime fore.” Hic philosophi regis post conuersam fortunam animus, vti calumniantium audaciam exarmabat, sic admirantium numerum augebat. Sane vno illo die ex optatissima in iniquissimam mutata fuerat eius conditio; laetarum rerum spes subito euauerat; perniciēs paene inuitabilis videbatur.

24. Pugna quidem Collinensis Pragae liberandae praerogatiuam habuerat: cuius obsidio statim soluta est. Borussorum tamen abitus nec occultus, nec sine multo ordine. Relinquebant incilia et alia loca munita, primo mane, sonantibus tympanis, quanquam non plane intacti ab hostibus. Vulneratos aliquot cum tormentis ceperant hostes, qui, iam velut emissi e carcere, abeuntes persequebantur, sed his, propter adhibitās vbique a Friderico cautiones, obesse non multum poterant. Nam cum is prudentissime exercitum suum in plures minores, eosque diuersos, diuississet, non modo caliginem hostibus offundebat, verum etiam commodius per Bohemiae montes poterat discedere. Iamque propius ad suae ditionis terras animum intendebat, quibus parandum esset praesidium. Nam praelio Collinensi, velut signo subla-

to, excitati Francogalli, Russi, Sueci, et Germani, certatim Borufficas terras inuadebant; quorum conatus statim sequebatur solemnibus in comitiis Germaniae proscriptio. Francogalli quidem Vestphaliam occupabant, repulsis, quos Dux Cumbriae ducebat, Hanoueranensis. Russorum centum millia amplius Borussiae regnum infestabant, quod Lehualdius, summus belli dux, cum triginta millibus studebat defendere. Solbifius (*Soubise*) Princeps, cum alio Francogallorum exercitu, Germanorum copiis iunctus, irruptionem in Saxoniam minabatur, Sueci denique, mari Baltico trajecto, Pomeraniae imminabant.

25. Braunio iam mortuo, Austriacus exercitus Caroli Lotharingii ac Daunii imperiis parebat. Hi quum in Lusatiam irrupissent, Beuerenii Ducis copiae hanc regionem defensionis, quia numero illis admodum erant impares, identidem cogebantur loco cedere. Has confestim per Saxoniam et Silesiam sequebantur Austriaci, donec Vratislaviam usque perueniretur. Interim alius Austriacorum exercitus Zittauiam, linteorum commercii inter Germaniae vrbes florentissimam, oppugnabat, qua ut vna cum Boruffico paucarum cohortium praesidio potirentur, eo furoris illi procedebant, ut urbem, parum munitam, pyrobolis et globis falaricis infestarent, adeo, ut paucis horis in cineres consideret, instigante ipso, qui tum in castris eorum erat, Xauerio, Saxone. Sed praesidiarii Boruffici per medios hostes viam sibi faciebant, non adeo multis in horum potestatem incidentibus.

26. Iam vere appetente in Germania inferiori, speculandi causa, contractus fuerat ex Hanoueranensis, Hassis, et Brunsvicensibus copiis exercitus, cui quum

se iunxissent, praeter cohortes nonnullas Gothanas et Buceburgicas aliquot Borussorum millia, etsi tum quinquaginta is millium numerum excefferat, tamen imparrem se maximo Francogallorum exercitui videbat. Postquam enim hic, traiecto Visurgi, et Embda occupata, iam terras Hanouerananas exactationibus infestarat, inter Estraeum, (*d'Etrées*), summum militum praefectum, et Cumbriae ducem praelium ad Hastenbecchiam commissum est, e quo victus hic discessit. Neque vero multum incommodi inde fuerat oriturum, nisi tabulario Hanouerano, et pretiosis quibusdam aliis, Stadam deportatis, metuens Cumbriae Dux, Septemtrionem versus, huius urbis tuendae causa, cum exercitu mouisset. Sed ibi mox a Francogallis cinctus, et ab Albi flumine interclusus, nihil sibi videbat superesse, nisi vt conditiones de pace ferret hostibus. Itaque a. d. VI. Id. Sept. in monasterio Seeuenensi, sponse Daniae rege, cum iis pactus est. Caput conditionum erat hoc, vt omnes illae Hanoueranorum, Hassorum, et Brunsvicensium copiae dimitterentur. Quibus domum dimissis, ipsoque earum summo ductore in Britanniam reuerso; Fridericus subito destituebatur auxiliari exercitu, qui Francogallos adhuc bello occupauerat; poterantque hi iam inde, praesertim Vesalia, quam Borussi reliquerant, pridem potiti, hac probe munita, omni opum vi hunc vnum oppugnare.

27. Idem praeter terras Hanouerananas, totam Hassiam occuparant. Cassellis quidem Fulonius, (*Foulon*) rerum militarium curator summus (*Kriegscommissarius*), agebat imperiosissime, atque ita, vt princeps Hasso-Cassellanus, ne spectator iniuriarum in vrbe sua primaria esse cogeretur, Hamburgum se conferret, vbi etiam, paene per totum bellum, sedem fixit.

28. Sed quod ad reliquam vitam communem attinet, intra modestiae fines se continebant Francogalli, quamdiu dux Estraeus summum exercitus imperium habebat. Hic enim, quavis oblata occasione, non magis rei militaris peritiam, quam animi magnitudinem declarabat. Sic quum Academia Goettingensis tutelam eius implorasset, ea illi rescripsit, quae si quid vnquam alias, a posteris legi merentur:

Academia Vestra, o carissimi, quum per viros summos, ex eius veluti sinu exortos, qui maximam illi famam conciliarunt, celeberrima dudum facta sit; cupide equidem hac voluntatis in Vos meae, Vobis declarandae, occasione utar. De belli molestiis securos esse Vos iubeo, quas, quantum in viribus meis erit, & Vobis studebo auertere. Nam quum probe sciam, quantum eae litteris detrimenti soleant inferre, ne militum transitu tam illustris ac praeclarae academiae Vestrae otium et tranquillitas interrumpatur, studiose curabo,

Holzmiündae

Vestri

post. Id. Iul. MDCCLVII.

studiofissimus

Dux Estraeus.

29. Verum eodem, quo haec scripserat, mense, regis ei Versalia reddebantur litterae, quae eum iuberent, imperium summum Richelio Duci, Pompaduriae, Marchionissae, clienti, tradere; simulque, gratum nihilominus regi, significarent, fore, si in exercitu mansisset. At ille regi iubenti paruit, suadenti minime gratificatus est. Nam vt primum Richelius ad exercitum venerat, ipse ab eo discessit.

30. Sic Richelius prudentiae eius militaris, qua decessor suus exercitum foederatorum, in angustias reductum, ad pacis condiciones accipiendas adegerat, fru-

Etum sine suo labore percepit. Qui quum, exercitus Francogallorum primarii summa potestate suscepta, Brunsvigam praefidiis firmasset; lectissimum inde eius robur, in his praetorianos (*Gens d'armes*) ad Solbifii, principis misit exercitum, qui Germanicis iunctus copiis, Saxoniae imminebat. Ipse Richelius cum suis Borufficas terras ingressus, vel vrbes et vicos praedando ac deuastando, vel ferrum et ignes minando, immensas ab inermibus incolis pecunias exigebat. Ac tanta tum ibi Francogallorum erat crudelitas, vt ipsam Cosaccorum immanitatem aequaret. Fortunati homines, iubentibus ipsis belli ducibus, vt pro caeteris pecunias soluerent, misere verberibus mulctari; maritae et virgines stuprari; de hominum vita quasi tesseris ludi; nihil vfitatius esse, quam innoxios, inanes propter suspiciones, nec dum conuictos, quasi speculatores egissent, ab his barbaris suspendi; quanquam, toto huius belli tempore, alios quoque e Germanis sexcentos, nulla generis, vel aetatis, vel necessitudinis habita ratione, eadem fors afflixit.

31. Nouo quidem illi Francogallorum duci nihil potius erat exactionibus, non tam regi, quam sibi scilicet, profuturis. Fretus enim clientela regiae pellicis, turpissima quaeque sibi indulgens, non nisi priuatis commodis expeditiones bellicas metiebatur, neque vllus vnquam, per totum hoc bellum, vllius gentis dux bellicus plures diuitias corrasit. Quod quidem tam parum clam alios habuit, vt, necdum finito bello, Lutetiae palatium sibi exstrueret magnificentissimum, quod *Hano-uerani* nomine Parisienses vulgo appellabant.

32. At Fridericus iam exercitum suum in plures distribuerat, vt hostium exercitibus, Saxoniam et Marchiam

chiam vndique petentibus, moram obiiceret. Neque tamen fatis habebat, ab eorum se insultibus defendere, verum vltro etiam, vbicunque occasio tulisset, eos aggrediebatur. Sic Mayerus, chiliarchus, irruptione in Palatinatum superiorem facta, Circulum Franconicum peruagatus, exigebat pecunias, et ipsi adeo Noribergae imminebat. Quae ciuitas, eius impetu conterrita, quum Conuentus Ordinum Franconiae opem implorasset, hi, vt sapientes se demonstrarent, scilicet, Mayerum, aut scripto ius infestandae armis Franconiae probare, aut refarcire damnum factum iubebant. Verum hic, minus longe a pergamenis tabulis, quam a pyriò puluere et plumbo instructus, subridens armatos suos circumstantes legatis monstrabat, quaerens, *num meliori demonstratione ipsi opus esse crederent?* Tandem quum regis sui consilio fatis fecisset, reuersus, obsides aliquot, in his duo patricos Noribergenses, e Franconia secum duxit.

33. Austriaci contra, Borussorum dispersionem, suam occasionem rati, eo procedebant audaciae, vt Haddiccus, eorum dux, cum expeditis quatuor millibus, Berolinum accederet, quae regia sine munimentis, partim etiam sine muris, nec nisi vallis instructa, tum, praeter aliquoties centum tirones et alios quosdam milites ordinarios, a duobus prouincialium (*Landmiliz*) millibus defendebatur. Regia familia, vt primum inaudierat de aduentu hostium, Spandauiam concesserat. Nihil itaque erat magnopere metuendum ab expedita manu, cui, destitutae ab omnibus infestandae regiae subsidiis, etiam in horas verendum esset, ne ab reditu ad suos intercluderetur. Haddiccus quidem, deditionem postulans, eodem tempore portas Copenicensis et Cöthubiensis inuaserat. Et cum primum pulueris pyrii

ictibus perfracti erant valli, cateruatim iam in illud suburbium Austriaci irrumpebant. Voluerant se ibi tum incolae dignos demonstrare, qui Borussiae regi parerent, et integra opificum collegia ad repellendos hostes, operam suam offerebant; verum Rochouii, praefidiariis praefecti, ignavia eos tentare rem vetuit. Itaque non nisi inter aliquot milites Borussicos ac Austriacos in suburbio Copenicensi leuiter pugnatum est, neque ea pugna quidquam decretum.

34. Vehementer tamen hostes percellebant allati de aduentu Mauritii, principis Anhaltino- Dessäuiensis, nuncii; vnde Haddiccio, sic satis aqua ferenti postulata, quod morae periculum nosset, ducenta imperialium millia, non tam metu, quam ad auertendum tandem metum, soluta; quibus acceptis magna festinatione hostes discedebant.

35. Interim in Borussia quoque belli flamma exarserat. Eo Russorum duce Apraxino, summo militiae praefecto, supra centum millia quum penetrassent, Memelam occupauerant. Quorum expeditiores copiae, Cofacci, Calmucci, ac Tatari, igni ac ferro regionem vastabant, idque eo furore, qui inde ab Hunnorum aetate in Europa auditus nunquam fuerat. Hae furiae, libidine plusquam belluina, inermes miseros interficere; ex arboribus suspendere; aut naso auribusque truncare; aliis, vtroque pede truncatis, ventrem dissecare; cor euellere; sepulchris euerfis, mortuorum ossa dispergere; nobiles viros ac sacerdotes, loris dilaniatos, nudos prunis ardentibus imponere, et omnibus modis excruciare; liberos, a parentibus auulsos, his videntibus occidere; virgines vxoresque vi constuprare; quam horum carnicum saeuitiam plane brutam vt effugerent, non paucae

caē manus sibi ipsae intulerunt. Alii multi Gedanum confugerant, quam in urbem quoque tabularium regium transportabatur. Atqui his hostibus Lehualdius, summus belli dux, quum non nisi cum triginta militum millibus potuisset occurrere, tamen a. d. III. Cal. Sept. apud Jaegerndorfium Maius (*Grosiägerndorf*) eorum munimenta fortiter aggressus est. Fauere ab initio fortuna videbatur infirmioribus, qui iam non, ut regis alicuius ambitioni satisfacerent, sed ut pro aris focusque, pro vita ac salute aduersus barbaros pugnarent, arma sumserant. Ac ceperant iam Borussi complura Rufforum tormenta, equitatumque hostilem cum altera peditum ala plane fugarant, quum ecce! hoc modo victoria iis eripitur: Incenderant Russi aliquot eius regionis vicos; quorum fumo in errorem ducti Borussi, ordines soluebant, et a Russis circumueniebantur. Sed idem hic Lehualdio, quod paulo ante Friderico ad Collinam contigit, ut eius discessus ab hostibus non impediretur. Ipse quidem militum quinque millia cum septingentis, Russi septem millia, amiserant. Sed nec vllum hi victoriae fructum perceperunt, propter ea, quod ingentem suum illum exercitum in Borussia, tam misere vastata, neququam sustentari videbant posse. Apraxinus itaque, nonnisi decem millibus Memelae in praesidium relictis, paucis post praelium diebus cum caeteris copiis omnibus discessit. Quod ille paene in fugae modum, tantaque cum festinatione fecit, ut quindecim vulneratorum et aegrotantium millia, cum octoginta tormentis, aliisque belli necessitatibus relinquerentur. Abducebatur bipertito exercitus; sed vtrumque iter flammae, praedationes, et alia plurima saevitiae genera insigniebant. Quacunque agmen iret, omnes vrbes, oppida, et vici incendebantur, et viae publicae hominum vel

bestiarum occisarum corporibus erant quasi confratae. Atque hanc calamitatem augebant Borussiae rustici, quos ad extremam desperationem Russorum furor redegerat. Caeterum hos Borussici milites, non victi, sed modo cedere coacti, ad extremos vsque ditionis Borussicae fines persequebantur.

36. Ibi tum mira quaedam res accidit: Nam rex Borussiae aliquot Calmuccorum millibus plane liberabatur, ab ea parte, vnde ne cogitare quidem suppetias, nedum sperare licuisset, h. e. per variolas. Hanc luem, antea domi sibi prorsus ignotam, quum magno cum stupore in Borussia primum cognouissent, plurimos suorum videbant abripere. Quae quum deinde ipsum eorum ducem attigisset, nulla iam res amplius eos retinere poterat, sed statim omnes, non visa Germania, domum discesserant.

37. Neque vero hunc eorum discessum magnopere Russorum ductores impediabant, praeclare secum illi actum rati, si commoda ista occasione tot monstris liberarentur, qui, Cofaccis adeo ipsis deteriores, nulla arte perdomari possent. Pauci quidem eorum, quorum reliquas spes vna illa praedandi superabat, relictis suis, ad exercitum revertebantur.

38. Haec natio, tum primum aduersus Germanos ducta, omnium Friderici hostium erat ferocissima, nec magis digna, quae contra gentem cultiorem, quam, quae cum iusto exercitu, militaret. Nam quum nihil suis illi armis ad huius victoriam momenti facerent, tamen hunc non modo propter illorum vastationes necessaria subinde deficiebant, sed etiam ex parte infamia adspergebat crudelitas horum monstrorum, brutis ma-

gis,

gis, quam barbaris comparandorum. Habitant ad mare Caspium ac Volgam flumen, et quamuis liberi, tamen tutela fruuntur Rufforum; vnde, quoties hi volunt, in bellum ipsis proficiscendum est. Stipendia, praeter singulos vnciales Rufficos annuos, et ouinam pellem, non accipiunt. Caeterum sunt e genere Nomadum, nec vrbes aut vicos habent, sed factis e coactili (*Filz*) tentoriis pro domibus vtuntur. Cum his perpetuo circumvagantur, prout pabula pecudibus suis (nam his folis diuites censentur) repererint. In summa oris deformitate adeo tamen inter se similes, vt difficulter ab se inuicem dignoscantur. Vultus admodum planus, ac propemodum quadratus. Oculi, sicut Sinensium, parui et alte capiti infixi, nasus simus, os insigni magnitudine, vt et aures, quae a capite insuper longius prominent, Arcu et sagittis vtuntur, quibus longissime pariter ac certissime iaculantur. Pro religione ipsis pagana est superstio.

39. Iam Fridericus Lehualdium, e Borussia auocatum, contra Suecos iubebat proficisci; qui, Franco-gallorum focii, numero duo et viginti millia, (in his quatuor equitum) Pomeraniam intraverant. Quorum fortitudo etsi formidanda videbatur Boruffis fore; nunquam tamen vllius reipublicae fama, vel animus militum intrepidus, tam consulto in discrimen commissus fuit, quam tunc factum est, et, qui Suecorum exercitum, omni sui parte, talem instruxerant, qualis tum in Germania comparebat, prorsus illudere recentiori arti militari videbantur voluisse. Nam praeter milites ipsos, distinctos illos ordinibus, exercitatos, et pugnandi cupidissimos, nihil plane, quo ad bellum opus esset, apparebat; nulli curatores rei bellicae, (*Feldcommissariat*)
nulli

nulli piftores caftrenfes, nulla horrea, nullae rates iunctae, nulli velites, nulla denique difciplina. Accedebant ductores, haud imperiti fane illi artis bellicae, fed per feuera fenatus regni mandata circumfcripti, inter fe difcordes, ac de quouis incepto grauiffimam rationem daturi. Quae fi quis cogitet, intelliget, opinor, quomodo eius gentis, quae ferro haud femel Germaniae fortem rexiffet, et pace Vefthphalica leges vniuerfae Europae fcripiffet, milites, nondum amiffa virtute priftina, poft quinque tamen expeditiones bellicas, inglorii et irrifi ab omnibus, domum reuerterint.

40. Quod enim leuiori militia defituebantur Sueci, faepe effecit, vt confilia, vel optime excogitata, exequi non poffent, quum, ab exigua Borufforum manu vndique vexati, etiam comiteatu omni intercluderentur. Porro nec propter victus et iunctarum nauium penuriam altius terras Borufficas iis licebat ingredi; quo minus autem cum exercitibus Francogallicis, vel Rufficis, vel Auftriacis iungerentur, tot erant obftacula, vt nunquam ea res ne tentaretur quidem. Itaque omnis belli Suecici fcena in angulum Germaniae inferioris perexiguum erat compacta, h. e. Pomeraniam et partem Marchiae; in qua illi fine magnae vllius rei conatu vltro citroque iactabantur. Eadem rerum facies toto bello manfit.

41. Iam Fridericus, vt Francogallorum, et Imperii Germanici Ordinum copias ad praelium ineundum alliceret, obuiam iis ipfe profectus eft. Erat enim tum iniquiffima ac formidinis pleniffima eius conditio; in vicinia non minus, quam e longinquo hoftes, iique in dies, velut Hydrae Lernaee caput, multiplicati. Nequidquam vnum vicerat; quum pro eo fe illi duo opponerent. Vno Ordinum Imperii Germanici decreto terris fuis
 illis
 omni-

•mnibus, quin ipsa Nouemviri (*Chur*) dignitate exciderat; ipsumque plane perdendi non modo studia communia, verum etiam vires, si vnumquam, certe tum, augetebant. Sed in tam exigua vincendi spe tamen satis ferenum animum conseruabat, vt versibus Francicis testamentum posset condere; et quanquam verendum omnino erat, ne hostium multitudinē tandem succumberet; tamen omnia vincendi praesidia circumspeciebat. Sic, quum eius exercitus, tot praeliis imminutus, non nisi viginti duobus, Francicus contra sexaginta militum millibus constaret, tamen hi iam prope Gotham Borussorum agilitatem erant experti. Nam quum hanc urbem Solbifius, summus belli dux, et reliqui ordinum ductores, cum octo militum millibus sedem sibi delegissent, in qua a belli molestiis paululum requiescerent; aliquando celebris in aula Principis indicta erat salutatio, magnique ibi apparatus ad excipiendos prandio lautissimo armatos hospites erant facti. Interim meridies appetebat, mensisque, iam stratis, Francogalli inhiabant, quum ecce! Seydlitius, Borussorum ductor, ante portas cum mille quingentis equitibus adest. Nihil hic de pugna cogitare Francogallorum octo millia, sed, relictis patinis fumanibus, ex vrbe festinare. Vnde nec adeo multi eorum capti, praeter pedisequos, mediastinos, coquos, capillorum concinnatores, pellices, sacrorum militarium curatores, et histriones, qua colluie Francogallorum castra superfedere vix possunt. Nec paucorum belli ducum suppellex, in Borussorum manus incidit; in qua integrae arcae, aquis fragrantibus, et vnguentis capillaribus, (*Pomade*) plenae, nec non ingens palliorum lineorum (*Pu-dermäntel*), sacculorum crinalium (*Haarbeutel*), vmbra- culorum, amiculorum cubiculariorum (*Schlafröcke*) et psittacorum copia reperta est. Quibus muliebris molli-
tici

tiei instrumentis velitum fuorum arbitrio relictis, Seydlitius, illos elegantiores homunculos, castrorum appendices, sine pretio Francogallis remisit.

42. His illi receptis, quibus aegerrime diutius caruissent, non minus, quam hoste per praelium victo, laetabantur, vt etiam pugnandi animus cresceret, nec vererentur, nisi hoc, ne rex ipsorum manus effugeret, quem errorem sane quaedam eius itinera et castrorum positus augebant. Neque enim illi adhuc, nisi fando, celeres eius motus, decursiones, artesque militares cognoverant; quarum expositione tam parum mouebantur, vt minime dubitarent, ipsum eo loco aggredi, qui liberum artificii eius tacticis expediendis spatium dabat. Neque illi tam sperabant, fore, vt ipsum vincerent, quam, vt cum vniuerso exercitu sine pugna caperent. Quin adeo quaerebatur a quibusdam in castris Francogallorum, honorificumne esset, cum tantilla manu confligere? Qua quidem militari superbia vti nulla vnquam fuit stolidior, ita nulla vnquam iustius castigata est.

43. Nam ipsis Non. Nov. ad Rosbacum, Saxoniae vicum, vno Lucena lapide distantem, vbi quondam Gustauus Adolphus, pro Germaniae libertate pugnans, occubuerat, praelium commissum est post hominum memoriam maxime memorabile. Rex, retrorsum moto paulisper exercitu, Francogallos ad locum paulo iniquiorem e castris elicuerat. Qui cum, eum moliri fugam, rati, a tergo conarentur inuadere; Fridericus, castris iterum positus, ea fretus agilitate, qua ordines in acie formare sui didicerant, tranquillus eos patitur moueri, vt ne suos quidem e castris egredi iuberet. Immota igitur Borufforum castra quum viderent, et milites ibi, quia
meridies

meridies erat, prandio deditos eminus conspicerent, vix oculis satis suis confisi, brutam hanc veluti desperationem esse interpretabantur, quae ne defensionem quidem parare auderet. Sed haec ipsa summa rei exspectatio in causis fuit panici terroris, quo correpti tam parum, memorabili illo die, possent resistere. Nam Seydlitius, belli dux, repente cum equitatu Borussico post collem prorumpens, procellae in morem, variis artificii hostem, vana spe occaecatum, laceflebat; et, quod nunquam in vlla planitie contigerat, leuioris armaturae equites grauiorem hostium equitatum aggressi prosternebant. Quin adeo velites Borussici, equorum velocitate freti, equites Francogallorum praetorianos inuadebant, quorum nec ipforum innata virtus, nec equorum grandiora solito corpora impediabant, quominus loco plane deiicerentur. Et quanquam Solbifius ex posteriori acie aduocabat, qui anteriori succurrerent, vix tamen apparuerant, quum iam similiter loco pellerentur. Eodem tempore pedites Borussorum, prius tam otiosi, repente densis ordinibus appropinquantes, Francogallorum peditatum horrendis ignibus excipiebant, partim e tormentis, partim e sclopetis, idque iusto ordine, tanquam exercitandi causa exploderentur. Is igitur, ab equitatu suo desertus, ex obliquo a Borussis inuadebatur. Frustra tum quidem Solbifius artificia Francogallorum omnia expromere, cuius ordines, e Folardi disciplina iunctos, facillime hostis dissipabat, vt praeter vniuersorum fugam nihil amplius restaret. Itaque Francogalli non minus, quam Germani, vt tanto celerius effugerent, arma abiicere; nec nisi aliquot Heluetiorum cohortes aliquandiu pugnantes in loco resistere. Tam cita ac certa ea victoria fuit, vt victi ne pertinaciae quidem in defendendo ostentae honorem sibi deposcerent, sed simpliciter terroris cuiusdam

iudam panici excufatione vterentur: nifi quod Franco-
galli omnem in Germanos culpam reiiciebant.

44. Non contigerat Suerinio, quum aliquot ante
menfibus occubuiffet, vt hunc triumphum videret, quan-
quam is faepe dixerat, non nifi victoriam de Franco-
gallis Borufforum victoriis caeteris fastigium imposituram
effe. Multa quoque alia tum acciderunt, quae immor-
talem huius die memoriam redderent. Quale eft, quod,
quum rex quendam criftatum (*Grenadier*) e Francogal-
lico exercitu reperiffet, defendentem fe temere aduerfus
tres equites Borufficos, ac dedere fe nolentem, inhibito
ftatim tam impari certamine, ex eo quaefiuit, *num in-
uictum fe arbitraretur? Arbitror, inquit, fed te duce!*
Porro rex in loco pugnae deambulans, folabatur ordi-
num Francicorum ductores vulneratos, qui hac huma-
nitate obftupefacti, ipfum caeteris victoribus omnibus
superiorem effe contendebant, eo, quod non contentus,
corpora viciffe, nunc animos quoque expugnaffet. Cae-
terum maximam praedam Boruffi fecerant. Inter alia
multae cruces, Ordinis Ludouiciani infignia, in manus
velitum Borufficorum inciderant, quibus illi fe exorna-
bant. Adhaec tormenta feptuaginta duo, figna militaria
duo et viginti, et fex militum millia cum viginti ac du-
centis capti. Quumque in exercitu foederatorum vtro-
que caefa ac vulnerata effent tria millia quingenti et fe-
xaginta, Boruffi haud plures, quam trecentos, amiferant.
In vulneratis fuerant Henricus, Boruffiae Princeps, et
Seydlitius, equitatu praefectus. Ac vix vnquam tam
exiguo pretio tam infignis victoria, noftro aeuo, de
bellicofa gente, conftitit; nec quidquam aequae, ac diei
ea anni tempeftate breuitas, ad vitandum interitum exer-
citus fugienti profuit, cuius hic non tam receptus, quam
fuga

fuga effusissima, cum perturbatione summa, poterat appellari.

45. Atque de hac victoria laetabantur Germani ad vnum omnes, nulla partium, aut proscriptionis, aut priuati commodi ratione habita, eamque velut vniuersae nationis triumphum existimabant. Quae sententia, vt nusquam in Germania, ita ne in ipsiq̄ quidem praelio, non valuit; in quo eques Borussicus, Francogallum iam iam capturus, dum manum, eius comprehendendi causa, extendit, cataphraeto Austriaco, ictum gladii a tergo supra caput suum ducenti: *Germane fratercule*, acclamat, *hunc, amabo, Francogallum mihi concede!* Cui ille: *Eum habe tibi!* inquit, ac dicto citius e conspectu auolat.

46. Nihil quidem alias magis ferium et graue ad considerandum esse potest praeliis, in quibus multa hominum millia se ipsa inuicem conficiunt; et vt quaeque natio est cultissima, ita belli calamitate afflictis, (quam nec duces egregii, nec milites fortissimi praestare possunt) parcere maxime consuevit. At Rosbaccense illud vtrique parti, ne exceptis quidem Parisiensibus, ludendi et iocandi materiam praebuit. Palam irrisus Solbifius, et perpetuis fere in illa vrbe epigrammatibus, et vulgi canticis impetitus; qua tamen ignominia mox leuatus est, aliis nugis in regia, nouum aliquid fitiente identidem, vulgi sermones occupantibus, et sic paulatim obliuioni ridiculam cladem tradentibus. At in Germania contra accidit, per cuius vtrumque terminum Rosbaci nomen ogganniebant Francogallis sine discrimine, quicumque hos obicere ludibrio vellent.

47. Ne summus quidem Friderici erga hanc gentem fauor, quem hac ipsa occasione ostenderat, illam

contumeliam poterat minuere. Capti erant in praelio aliquoties centeni ordinum exercitus Francici ductores, quos Berolini esse, quin adeo ad aulam subinde admitteri, Fridericus permiserat. Sed quum pauci eorum aulam Versaliensem ex propinquo cognouissent: sane palatium regis Berolinense admodum insuetum ipsis erat domicilium. Cui rei quum accessisset Marchionis Brandenburgici notio, contra quem, (vt Parisiensis elegantia dictitabat) Francogalli parumper pugnare dignarentur; factum est, vt hi homunciones, pugnam et captiuitatem oblitii, tam immodeste in media se regia gererent, vt, inde deportati, Magdeburgum ducerentur.

48. Accidit tum, quod non abs re fuerit, hic notasse, vt matrona Berolinensis aulica, quae in reginae conclauis forte cum chiliarcho quodam Francico colloquebatur, ex eo quaereret: *Quid ei de regia videretur?* Qui cum dixisset: *Eam vicum sibi satis amplum videri;* illa, offensa rusticitate hominis improuisa, prompto admodum ingenii acumine: *Recte ais,* inquit; *nam ex quo rustici Francogallici hic commorantur, rus olere quodammodo regia nostra videtur; alias urbem, scito, satis commodam esse.*

49. Caeterum de victoria Rosbacensi allatus nuncijs ita reginam Poloniae commouit, vt, quum praefertim vehementiores natura animi haberet affectus, postridie exanimata reperiretur. Ea quum pridem non satis recte valuisset, neque tamen ita male se habuisset, vt morti vicina videretur; pridie autem magna animi sollicitudine suos dimisisset, his proximo mane redeuntibus, iam exspirarat. Atque sic leuabatur Fridericus inimica prorsus implacabili, quae falsis imbuta superstitionibus, fax paene ac tuba fuerat tanti belli, ac ciui-

bus eius tam luctuosi, quaeque omnia fanaticis suis erroribus posthabuerat.

50. Exercitus quidem Francici ac Germanici post illam cladem in Saxonia vicinisque regionibus nec vola nec vestigium. Diruerat is pontes omnes, ne hostes sequerentur, tantaque confusione aufugerat, vt multae eius cateruae ad Rhenum demum consisterent, quod, regem a tergo sequi, identidem opinarentur. Sed hunc in Silesiam Austriacorum ea in regione prosperi successus reuocarant. Qui etsi Richelium ducem cum exercitu terrarum suarum finibus inhiantem a tergo reliquerat, tamen huius progressus, sperabat, fore, vt per alium exercitum impedirentur, qui praeter opinionem coeptus erat colligi.

51. Ipsi videlicet Francogalli Georgio II. Britanniae regi, rumpendi foederis Seeuenensis occasionem suppeditarant. Nam quum Hanouerani, eo inito, neutros quodam modo se hoc in bello fore, sperassent; hanc ipsos spem vehementer sefellisse sentiebant. Tota enim regio *prouinciae*, quam proprie dicunt, non modo incommoda, verum ipsum adeo nomen in edictis Francogallicis, fortiebatur. Richelius immensas pecunias et commeatus, non suis magis, quam sibi exigere; alius quidam homo Lutetia ad redimenda terrarum Hanouerarum vectigalia, Francico more mitti, qui velut ex arte eas expilaret, idemque aliis quoque terris Germanicis, adhuc occupandis scilicet! faceret. Quod etiam ipsum regiae litterae, a. d. XV. Cal. Nov. MDCCLVII. Versalia datae, diserte declarabant, quibus Galterius, (*Gautier*) Francogallus, telonium suum Hanouerae iuebatur instruere. Haec omnia ad desperationem incolae vocabant. Quare, quum Georgio terrae suae

Germanicae non minus cordi, quam sua regna, essent, eumque senatus Britanniae supremus summa animi magnitudine iuuare constituisset; iam inde a verbis ad facta ventum est. Britannis enim, ruptum a Francogallis ipsis foedus fuisse, obiicientibus, momento per pugnam Rosbacensem facto, iam copiae Hanoueranae dispersae colligebantur; quibus suas non inuitus iungebat princeps Hasso-Cassellanus, qui et ipse de Francogallis conquerendi causas habebat iustissimas. Quamuis enim hic ab initio seruare foedus Seeuenense constituerat, reuocatisque ab exercitu suis militibus itinera iam et stationes praescripserat; Richelius tamen eum ab hac sententia deiecerat, nonnisi exarmatos eos se dimissurum, dictitans. Frustra Princeps, milites suos, dicebat, liberos eosdemque armatos, necessariis rebus omnibus instructos, neque captivorum loco habendos esse, quibus pro arbitrio eripi arma possent. Ipse igitur Cambriae Dux ad Francogallici exercitus praefectum ea de re scribebat, nec minus Lynarius Comes, Daniae regis legatus, auctor istius foederis, in praetorium (*Haupt-quartier*) Francogallorum profectus, vt aulae Francicae satisfaceret, Hassicorum militum per Holsatiam distributionem offerebat. Sed quamuis hoc Hassiae princeps probarat, Richelius Versaliam scripserat; tamen Franciae regis amici, hoc praefracste repudiato, exarmari eos utique volebant.

52. His disputationibus finem faciebat aula Britannica, Hassis porro stipendia negans se soluturum, nisi eos, qui erant duodecim millia, arbitrio regis Britanniae princeps plane permisisset. Quo audito hic neutiquam cunctatus, quum hanc in rem lubens consensisset, totum se Francogallorum furori exposuit. Nam mitteba-

tur e Francogallorum praetorio ad ipsum veredarius, qui horrenda quaeuis minaretur, h. e. " ipsos arcem Castellanam incenso puluere pyrio funditus disiecturos, Hassiam vero omnem ferro et igni sic depopulaturus, vt multis post saeculis vastissimam solitudinem oculis obiiceret." His minis contemptis, quum princeps Hassia discessisset; statim exactionum initia facta sunt. Quo tempore non parum omnium animos commouebat, quod Christiani quidam, homo Auftriacus, rei bellicae curator, Castellam venerat, qui exactas pecunias cum Francogallicis rei bellicae curatoribus partiretur. Iubebantur omnes incolae, intra vnus diei spatium quiddid auri et argenti signati in promptu esset, reddere. Signa vero, militaria tympana, et reliqua victoriarum, ab Hassis bello vnquam reportatarum, monumenta, ex armamentariis elata, flammis addicebantur.

53. Interim foederatorum exercitus colligi coeptus. Hanoueranis et Hassis iam Brunsvicenses quoque copiae aggregabantur, quae inuito primum, propter metum impendentis patriae periculi, Duce, deinde vero probante, nouum exercitum augebant. Qui quum parum ab equitatu valere videretur, aliquot equitum Borussicorum chiliades accedebant. Quem exercitum Fridericus etsi non admodum magno militum numero augere poterat, tamen ei ducem, iusti instar exercitus habentem, praefecit, Ferdinandum Brunsvicensem, ex eorum numero, parum numerofo, qui, dum summum ingenium, cum summa animi virtute et magnitudine coniungunt, eximia quadam ratione generis humani gloriam illustant. Frustra igitur minari Richelius, se, cum primum hostiliter agi coeptum fuisset, Hanoueram cum ipsis palatiis regiis solo aequaturum esse. Cui Ferdi-

nandus, Laconica sane breuitate, se, de minarum euentu securum, comitante exercitu, distinctius ei mentem suam explicaturum, respondit. Statim itaque foederatorum exercitus ad rem gerendam accingi; duobus locis Francogallorum copiae, facto impetu, repelli; Richelius furere, ac Cellas urbem expilari, suburbia vero incendi velle. Rogatus, vt orphanotropheo certe parceret, renuit, idque cum caeteris domibus exussit. Tandem hyemis asperitate coacta pars vtraque in hyberna discessit.

54. Interea Fridericus in Silesiam festinauerat. Quam quidem regionem Beuerenius cum viginti militum millibus defensurus, vniuersis Austriacorum copiis, ad illam recuperandam vndique coactis, par esse neutiquam potuerat. Manus enim Borussorum, quae, Vinterfeldio duce, cauerat, ne comneatus inter Saxoniam ac Silesiam intercluderetur, post pugnam vehementissimam, loco pulsa, recesserat. Auxerat calamitatem vultus ducis mortiferum, in ea pugna acceptum, qui non minus raris naturae dotibus instructissimus, quam Friderico carissimus, idemque animo maximus fuerat, et cuius mortem non rex modo, verum etiam ciues eius, omnesque adeo alii lugebant, tanquam in eo iacturam maximam patria vniuersa fecisset.

55. Iam Nadaftius, Austriacorum belli dux, Suidnitium aggressus, cui vrbi succurrere Beuerenius non potuerat, post sedecim dierum obsidionem, assaultu capiebat. Ibi sex praefidiariorum millia cum ingenti necessitatum omnis generis bellicarum, tormentorum, instrumentorum copia, ducentisque semiuncialium (*Gulden*) millibus paratae pecuniae, in potestatem Austriacorum venire. Qua vrbe expugnata faciliori iam inter Bohemiam

miam ac Silesiam commeatu his reddito, Nadaftius cum exercitu maiori ad Vratislauriam suum coniunxit.

56. Ad hanc urbem quum castra Borussi posuissent, consultum Austriacis videbatur, eos ante regis aduentum aggredi, qui cum exercitu victore magnis gradibus appropinquabat. Commissum est praelium, a. d. X. Cal. Dec. Castra Borussorum munita, non secus atque vrbs, tormentis modi maximi, Suidnicii repertis, e quinque simul locis petita. Vtrinque virtute magna pugnatum quum fuisset, ingruente nocte, incerta fuerat victoria. Sed quoniam Dux prima luce novos hostium expectabat impetus, quorum exitum infelicem in tanta hostium multitudine metuebat, noctu per Vratislauriam profectus, Carolo Lotharingico, Austriacorum summo duci, nihil minus, quam hoc expectanti, castris et loco cessit. Horum exercitus ipso praelii die octoginta, Borussicus contra non nisi viginti quinque militum millia habuerat. Ex his occisa et vulnerata fuerant sex millia cum ducentis, ex illis quinque millia cum octingentis; Borussorum capta tria millia sexcenti. Biduo post ipse Beuerenius, dum speculaturus obequitat, captus. Quum sine comitibus fuisset, non leuis in eum cadit suspicio, haud inuito eam rem accidisse, ne propter illa, quae ante acciderant, rationem reddere suo regi cogereetur.

57. Huic iam Zithenius, sumto victi exercitus imperio, reliquias obuam ducebat; quo facto interim Vratislauriam Austriaci, ne defensam quidem, occupabant, libero tribus praesidiariorum millibus, abitu concessio. Sed Lestevitii praefecti ignauiam adeo improbat Fridericus, vt eum castello, poenae causa, includi iuberet. Caeterum ibi magnam Austriaci frumentorum,

tormentorum, et inprimis instrumenti bellici copiam repererant.

58. Iamque parum aberat, quin Silesiae vniverſae poſſeſſione Fridericus excideret. Nam exeunte Nouembri eo res Auſtriacorum erant ſtatu, vt maxima quaeque exſpectanda ipsis iam inde viderentur. Recens reportata a Boruffis victoria; vrbes munitae duae expugnatae; caput Silesiae praefidiis firmatum; exercitus ad haec tuenda ingens et inſtructiſſimus; ſpes denique non vana belli quam primum ex voto finiendi. Videbatur praeterea hyems ipſa, quae iam ingruerat, quidquid fortaſſe tentaffent Boruffi, impeditura, ſerioque iam omnes hyberna meditantur, quum ecce! ſubita fortunae mutatio totius Europae animos incredibili modo aduertit. Nam Friderici in Sileſiam aduentum nemo non extremum deſperabundi hominis conatum, eumque inſirmiſſimum, crediderat, paruumque eius exercitum, *cobortis praetorianae Berolinenſis* titulo vulgo hoſtes traducebant. E Sileſiis, qui regi fauebant, ſpem, qui Auſtriacis, metum omnem ex animo dimiſerant.

59. Cuius priuatorum de belli euentu ſententiae inſigne exemplum Schafgötschius, Episcopus Vratiſlauienſis, dedit. Qui quum a Friderico rege, principis et Episcopi dignitate ornatus, multisque beneficiis cumulatus, etiam ſaepe cum eo Poſtampii conuerſatus eſſet, ab eoque Ordinis Aquilae Nigrae inſignia (quae parce admodum ille, ab initio inde imperii vsque ad mortem, ſolebat diſtribuere) accipiſſet; oblitus horum omnium, quod patronum iam perditum crederet, eiusque hoſtium fauorem captaret, vel maxime vulgares reuerentiae prudentiaeque leges poſthabebat. Acriter enim in regem inuectus, auulſa ſibi Ordinis inſignia pedibus

dibus concleabat; qua temeritate ipsos Austriacorum ductores ita offendit, ut, asperrimis eum verbis reprehenderent. Paulo post igitur, ut dedecus a se admissum occultaret, varias in regiones profugus, exfulem egit, primum in Bohemiae montibus, deinde Viennae, ubi nec a proceribus magni habitus, nec a Theresia et Francisco I. Imperatore, eius mores improbantibus, ad salutandum admissus est; tum Romae, ubi quum propter morum licentiam dudum inuisus fuisset, tunc quoque parum vel praesidii, vel misericordiae impetrauit, tandem rursus in Bohemia, ubi nunc etiam obscurissime agit.

60. Caeterum multi iam administrandae in Silesia reipublicae apparatus ab hostibus erant facti, plurimarumque urbium praefecti in verba Theresiae Augustae iurarent, quum ecce! *praetoriani illi Berolinenses* (quos per contemptum vocabant) ad Silesiae metropolin accedunt. Adiunxerat sibi in itinere Fridericus victum Beverenii exercitum, sed tamen seorsim ab suo castra iubebat ponere, ne victricium suarum cohortium animos frangeret. Accedebatur quotidie propius ad hostes, qui castra ad Vratislaviam munierant. Rex, summis quibusque ordinum ductoribus conuocatis, breui, sed longe grauissima oratione, iniquam rerum suarum conditionem exposuit, reuocataque in eorum animos maiorum virtute, et Boruffici nominis gloria, ad vleiscendum commilitonum populariumque sanguinem eos incitauit. Adhaec consueta ipsorum virtute, industria, patriaeque amore fretum, se hosti, iamiam inuadendo, quidquid occupasset, erepturum, dixit. Qua oratione veluti diuinum illis pugnandi impetum inspirauit, ut multi lacrymas tenere non possent, omnes certe vehementi-

mentissime commoverentur, praecipui vero duces, reliquorum nomine responsione suscepta, aut victoriam aut mortem suam regi promitterent. Hoc virtutis sensu per omnem exercitum celerrime propagato, quum audissent milites, Austriacos, relictis castris munitissimis, Borussis obuiam profectos esse; certa iam omnibus de hoste victoria videbatur.

61. Itaque ipsis Nonis Dec. ad Leuthenam, vicum, praelium commissum est, post hominum memoriam longe maximum. Diuersissima erat vtriusque exercitus conditio. Borussicus triginta, Austriacus nonaginta militum millibus constabat. Hic, fretus formidolosa sua ac sociorum quam plurimorum multitudine, occupataque iam dimidia parte Silesiae; ille artificiis tacticis, ac summo aetatis nostrae belli duce confusus. Hic, per comneatum Bohemiae omnium rerum abundantia instructus, ille multis necessariis destitutus. Hic multorum dierum otio refectus, ille contra aliquot hebdomadam itinere molestissimo defatigatus. Hic, memorabili illo die, non nisi quotidiana belli virtute instructus, ille ad furorem vsque pugnandi cupiditate incensus.

62. Sic animati vtrique in eo campo concurrerant, quem ne votis quidem accommodatiorem sibi Fridericus optare potuisset. Austriaci, vastis, ac paene immensis stantibus ordinibus, vix oculis satis fidebant, quum paruam manum Borussicam ad ipsos aggredierentur appropinquare vidissent. Sed hoc ipso temporis puncto cognitum est, quantus inesset in Friderico ingenii militaris vigor. Secutus enim est in hoc praelio illud aciei genus, quod *obliquum* appellant, quo adiuti olim Graeci toties vicere, quo Epaminondas Spartanos, ad illam diem inuictos, fudit, quo summam artis bellicae

cae peritiam duces produnt, quo denique, dum plures in pugnae centrum milites conferuntur, quam hostes conferre possunt, vi quasi victoria ab his extorquetur. Fridericus quidem dextram hostium alam se petere simulabat, quum reuera sinistram peteret. Idem tunc singulare decursionis genus tentabat, quod etfi postea aliorum principum exercitus imitati sunt, ad hunc diem tamen nonnisi a Boruffis debito ordine et agilitate fieri potuit. Consistit autem in eo, vt idem ordo in varias cateruas distribuatur, quae inter se admodum densatae, ingentem militum numerum simul loco promoueant. Auctor inuenti Fridericus ipse fuit, imitatus in eo phalangem Macedonum veterem, quae sedecim incedens ordinibus pugnabat, atque aliquot saeculis inuicta habebatur, donec a Romanorum legionibus victricibus oppressae nihil praeter nomen remansit. Caeterum hic militum veluti acruus, si cum extensa ordinum serie compares, etfi non multum loci occupat, atque eminus indigestam hominum molem videtur referre; tamen non nisi nutu ducis opus habet, vt veluti glomus, summo ordine et mirabili velocitate, quae paene torrentem aequet, euoluatur.

63. Hoc artificio sinistram Auftriacorum alam aggressus Fridericus plane deiecit. Et quanquam deiectis recentes copiae identidem succurrebant, tamen, ne colligendi se quidem spatio concessio, vix conspectae, pariter deiiciebantur. Ita alia in aliam Auftriacorum chilias irruens, ordines turbabat, vt incredibilis fieret omnium confusio. Multa enim Auftriacorum millia ne explodendi quidem teli locum aut tempus habebant, quum a reliquorum veluti torrente abriperentur. Maxime tamen impetum Borufforum Leuthena, vicus, retinebat,

bat, quem multis non modo militibus, verum etiam tormentis Austriaci munierant; et in quem plurimae fugientium cateruae sese receperant. Qui etsi per omnes vici domos atque angulos dispersi summa cum desperatione pugnabant; tamen cedere tandem fortioribus cogebantur. Tentabant quidem Austriacorum lectissimi quique, e media omnium confusione quasi emergentes, fauente loci situ, obsistere, sed eos Borussorum partim tormenta mox repellebant, partim equitatus, vndique ingruens, millenos capiebat. Et quemadmodum paulo ante ad Collinam nec ars bellica, nec militum virtus, sed ingentes machinae ferrum ac plumbum euomentes, et per cliuos inaccessos dispositae, momentum ad victoriam eius diei fecerant; sic ad Leuthenam sola ars duces et virtus pugnantium hostes deuicit. In ipso pugnae loco vnum ac viginti millia cum quingentis capta. Austriacorum caesa ac vulnerata sex millia et quingenti; totidem ad victores, post praelium transfugere. Borussorum quinque millia partim vulnerata erant, partim ceciderant.

64. Statim post hanc diem parabatur Vratislaviae obsidio, quam, ingentibus firmatam praesidiis, fato iam suo victus exercitus permiserat. Iam quidem patibula omnibus, qui de deditioe vel verbulum emisissent, erigebantur; sed post quatuordecim dies et haec ipsa vrbs Borussis, assaultum iamiam parantibus, tradebatur. Praesidiarii omnes, hoc est, tredecim belli duces; septingenti minores ordinum ductores, cum duodeviginti gregariorum millibus arma coacti tradere. Adhaec horreum ingens, multi currus commeatu subuchendo, et aerarium militare, centum quadraginta quatuor florenorum millibus plenum, in victoris potestatem venire.

Praete-

Praeterea Zithenius, belli dux, hostes persecutus, duo captiuorum millia, cum tribus curruum millibus adduxerat. Sic, paucis hebdomadibus, Austriaci, perditis paene sexaginta hominum millibus, reliquias tam ingentis exercitus, veluti profugorum aliquam manum, habebant, qui sine tormentis, signis, et impedimentis, inopia rerum omnium pressi, gelu rigentes, super montes Bohemiae, suam quisque domum contenderent.

65. Ferebat hoc summum Friderici ingenium, ut non modo commissos ab se in bello errores corrigeret quam celerrime, sed etiam partis ibi commodis quam optime vteretur. Itaque minime contentus fuisset bel-lator acerrimus, recuperasse amissam paene Silesiam, ac plus quam quadraginta hostium millia cepisse, nec ve-luti cursum victoriarum passus esset intercipi, nisi in-gruens hyems, et altissimarum niuium copia modum his posuissent; vnde et ipsam Suidnitii obsidionem in ver proximum differre cogebatur. Vltimum anni opus erat Lignitii expugnatio, cuius tria praesidiariorum millia cum quingentis, liberum discessum impetrabant, relicto Borussis horreo ingenti, et magno instrumenti bellici apparatu.

66. Contigerat itaque Friderico, ut sub finem huius anni, terras suas omnes ab hostibus relictas vi-deret. Austriaci enim, ut se ex horrenda clade refice-
rent, terras Austriacas interiores festinanter petierant; Borussiam Russi reliquerant; Francogalli a finibus Bran-
denburgicis reiecti, nil nisi quasdam Vestphaliae regio-
nes, paulo remotiores, tenebant. Exercitus Germani-
cus domum erat remissus; Sueci autem per Lehual-
dium, belli ducem, e Pomerania Borussia repulsi, Sue-
ica adeo Pomerania Borussia coacti erant cedere, quã
iam,

iam, terris quoque Megapolitanis occupatis, in Saxonia otiose hyberna tranfigebant.

67. Hunc finem habuit huius anni expeditio, cuius profecto, ab initio inde rerum humanarum, vix vlla fimilis fuit. Vno enim hoc anno feptem ingentia praelia commiffa funt, minora vero longe plura, quorum multa, fuperioribus faeculis iuftorum et ingentium numero habita fuiffent. In belli enim hic fcenam fimul prodierant fummi exercituum duces, quales rariffime natura gignit, Fridericus et Ferdinandus, geftisque a fe rebus omnium aetatum fequentium magiftros in bello fe oftenderant. Alii, vt Henricus, Princeps Borussiae, Carolus Brunfucenfis, heres, ac Laudonius, ingenii militaris fummi, luculenta ediderant fpecimina; alii, quamquam his impares, tamen, quolibet alio tempore, vel foli bellicae popularium fuorum faeae auctores futuri, vt Seydlitius, Keithius, Follequetus, (*Fouquet*) Beuerenius, Eftreaus, Brolius, (*Broglie*) Haddiccus, Romanzouius, Vunfchius, Zithenius, Vernerus, alique diuerforum exercituum duces, primas demonftrandae fcientiae militaris occafiones hic habuerant. Tres alii, faepius iam victores, et in annalibus bellorum perpetuo commemorandi, Suerinius, Braunius, et Vinterfeldius, in hac ipfa expeditione, generofa morte facta fua ornantes, ceciderant. Septingenta amplius hominum milia in armis fuerant, neque illi molles Afiani, quales olim innumerabilibus cateruis campos inundantes, tanto facilius a Graecis, Romanis, et Britannis perdomiti, triumphos ornabant; nec militantium in facris expeditionibus colluuias, quales, locuftrarum more, fine numero, prouincias inundabant, nulla belli fcientia, pugnantes, ac caeco religionis propagandae furore homicidas

cidas agentes; sed omnes nationes bellicosae, intra Germaniam militantes, quarum nulla cultam saeculi nostri elegantiam respueret, nonnullae fortissimas priscae aetatis gentes aequarent, non vna denique ferro quartae orbis terrarum parti leges ferre posset.

68. Singulares porro ac plane insolitae rerum conuersiones, quae breui expeditionum huius anni spatium acciderant, non modo experientiam ac prudentiam hominum omnem veluti deridendam propinabant, verum etiam a consueto rerum humanarum cursu prorsus videbantur deflectere. Borussiae rex ineunte anno victor: Austriacorum infracta ac paene euersa potentia: magnus exercitus vnam in urbem conciusus, iam iam deditionem parans: Vienna ipsa trepidans; spes Theresiae omnes paene perditae. Subito, versis fortunae vicibus, Austriaci sese colligentes, praeliis vincentes, vrbes munitas expugnantes; Fridericus contra fugatus, Bohemia expulsus; a fociis desertus, vndique ab hostibus cinctus, denique pernicii proximus. At repente rursus hic emergens, idque sic, vt, superiores triumphos nihil esse ad novos illos, demonstrat. Russorum, Suecorum, Germanicorum Ordinum, Francogalorum, Austriacorum copiae validissimae partim repulsae, partim fusae, partim deletae; integri paene exercitus capti, ac Silesia, dimidia sui parte occupata, vno veluti ictu gladii recuperata. Russi in Borussia victores, iique fugientes; et multa aegrotorum vulneratorumque millia relinquentes: victi contra Borussi illos ad Poloniae fines vsque persecuti. Sueci, bellicosa gens, in Pomerania hostem non reperientes; gregarii pugnam, ductores gloriam sitientes; Berolini sortem in manibus habentes: at Berolinum ne tentatum quidem, illi

illi paulo post sub Stralesundiae moenibus per fugium quaerentes. Francogalli denique, otiose, quidquid terrarum inter Albim est et Visurgim, tenentes: Hanoverani contra, resumtis armis, accepto Ferdinando duce, hostem haud paulo valentiozem fugantes; hic magna horrea relinquens, et in vnum Germaniae Septentrionalis angulum veluti conclusus. Quis haec fieri potuisse, existimet?

69. Jam Britanni quanquam a bello terrestri adhuc abhorruerant, tamen postquam Hanoueranos ipsorum causa plecti vidissent, ac Friderici praeterea res gestas audissent, quarum ipsi admiratores erant omnium maximi, animum plane mutauerant. Ac nunc demum illi Borussiae regem, veluti numen aliquod suspicere; eius natalem Londini ac per Angliam omnem, haud aliter, quam regum sibi vnquam carissimorum, festum celebrare; per senatum regni annua sexcentena septuagena millia monetae Britannicae, ei decernere; denique Britannicum adeo exercitum in Germaniam se missuros, polliceri. Etiam magnus ille Pittius, qui non multo post habenas reipublicae regundae accepit, summaque ingenii vi, dictatoris paene more, Britanniae leges tulit, tum nihil verius esse dicere, quam vt bello in media Germania gerendo, Americae possessio vindicaretur.

LIBER III. ANNVS 1758.

CAP. I. Postquam vtraque bellantium pars nouas spes, noua consilia ceperat, relictisque viribus nouam anni MDCCLVIII, expeditionem pararat; primi in belli scenam Russi prodire. Apraxino enim domum reuocato, Fermorius imperium quum accepisset, iussus sine mora Borussia occupare; id media tum hyeme executus est. At Fridericus, cuius attritae tot praeliis copiae rursus auctae, rebusque omnibus necessariis abunde instructae essent, minime dubitans, Russos ulterius progressuros, quum prius, quam aduersus eos proficisceretur, Austriacis graue quoddam vulnus meditaretur infligere; ad Morauiam occupandam maxime animum adiciebat. Initium rei gerendae Suidnitii obsidionem fecerat, quae vrbs quinque millibus ac ducentis firmata praesidiariis, quum per totam hyemem clausa arctius fuisset, tandem per sedecim dies defensa, Borussia reddebatur. Iam Olomucium rex cum exercitu petebat. Quae vrbs quum non modo praesidio firmissimo rebusque ad diuturnam obsidionem sustinendam necessariis esset instructa, verum etiam Mareschallium praefectum haberet, virum expertae virtutis, animique praesentissimi; facile erat, prauidere, eam haud segniter defensum iri.

2. Augebantur difficultates, cum irruptione in Morauiam coniunctae, etiam eo, quod horrea Borussia proxima, duodeuigesimo ab vrbe Olomucensi milliario aberant. Nihilominus omnes superabantur. Nam rex, Bohemiam simulans se petere, deceptis locis,

stibus, recta Morauiam ingressus, copiis hostium, quae ei se opponebant, repulsis, statim obsidendae urbis initium fecit. Ibi tum praefectus nihil ad defendendam strenue urbem intentatum relinquere: munimenta celeriter reficere, commeatum vndique augere, inutiles defensionem incolas dimittere; suburbia incendere. Exercitum obsessorem ducebat Keithius, summus rei militaris praefectus. Sed prima statim obsidendae urbis consilia infaustum exitum ominabantur. Balbius (*Balby*) enim, fabrorum apud Borussos praefectus, (*Ingenieuroberster*) natione Francogallus, qui obsidionem moderabatur, ita in artis suae leges peccabat, ut omnia in longissimum tempus extraherentur. Nam primum incile, mille quingentis a vallo passibus duxerat; cuius magnitudo spatii omnes tormentorum ictus inutiles efficiebat. Paulatim propius ventum, et quam fiebant eruptiones ab hostibus, et crebro tormentorum globi ex urbe aduolabant, vicissim tamen octoginta tormentis urbs petebatur.

3. Constat inter omnes, quam incredibili rerum copia obsidionem alicuius urbis, ex hodierna bellandi consuetudine, tum aggressuris, tum continuaturis opus sit; tum quidem singulis diebus, aliquoties centeni currus, ad suppeditandum plumbum ac puluerem pyrium, requirebantur; neque minus assidue reliquae Borussorum necessitates, nunc longiori, nunc breuiori agmine, aduehebantur. Quae licet paene omnes saluae adferrentur, tamen quum longe plures desideraret obsidionis diuturnitas; omnes tandem omnium spes in vna quadam vectura erant repositae, qua tria curruum, frumento et instrumento bellico onustorum, millia, in Silesia per Troppauiam expectabantur. Hos currus

vt interciperet Daunius, inprimis operam dabat, praefertim sine praelio, cum rege ineundo, Olomucium liberaturus; quod ille praelium, propter insitam sibi a natura cunctationem, vitare omnibus modis solebat. Itaque quum exercitum haberet numerosissimum, multa emittebat agmina, quae regiones ac vias publicas, qua commeatus ille aduehendus esset, frequenter insiderent. Vnde multae sane vtrisque velitationes, fortuna nunc his, nunc illis, (vt fit) fauente, factae; nihil tamen, quod momentum ad summam belli faceret, gestum.

4. Contra ea Fridericus, quantum ipsi per obsidionis pericula et exercitus sui non nimis magnum numerum licebat, nihil non tentabat, vt incolumes illos currus, in quibus tantum erat momenti, in castra reciperet. Milites, praefidii causa iis additos, ducebat Mofellus, (*Mosel*) chiliarchus, vir rei militaris peritissimus. Is, cum nouem militum millibus profectus, iter habebat, propter ingentem rerum transuehendarum molem, et lentissimum, et molestissimum. Praeterea viae, ad Borufforum exercitum ducentes, propter frequentiam commeantium, et pluuium caelum, ita factae erant inuiae, vt, curribus identidem in coeno haerentibus, agmen ipsum vel retineretur, vel diuideretur. Et quanquam crebro Mofellus subsistebat, tamen tertia agminis pars sequi plane non poterat. Qua minime expectata, ille iter suum, per fauces persequebatur, quarum in vicinia hostes tormenta per aggeres disposuerant. Hic ei insidias Laudonius posuerat, quo iubente quum pedites Croatae, in sylua latentes, in Boruffos magna cum vehementia impetum fecissent; hi, syluam ingressi, non modo hostes repellebant, verum etiam aliquoties centenos eorum captiuos educebant.

5. Sed, dum sic pugnatur, ipsum curruum agmen summa confusione perturbatum fuerat. Qui eos ducebant, rustici, primis statim tormentorum ictibus perterriti, relictis omnibus, diffugiebant. Alii abiunctos equos festinantissime abducebant. Magna pars non comparebat amplius, sed recta domum properarat; quin complures, conuersis adeo curribus, Troppauiam repetebant. Hanc confusionem incredibilem, etsi, quantum licebat, Mosellus correxerat; etiam Zithenio, a rege obuiam sibi misso, satis feliciter se adiunxerat; tamen ne dimidius quidem curruum numerus supererat; qui autem supererant, horum multi, propter dilapsos aurigas, a nemine regebantur. Ergo quum de nouo subsistendum esset; hac mora Austriaci, ad disponenda per virgulta circa Darmstadelium Laudono ac Ziscouitio ducibus, quinque et viginti lectissimorum militum millia, utebantur. Quas fauces vix agmen attingerat, quum ecce! vndique inuaditur. Tormentorum ictibus petitur vallus curruum; traiciuntur glandibus equi; incenduntur carri tormentarii, pessima denique fit rerum omnium confusio. Neque tamen Borussi animis deficere, sed, iniquissimo loco et conditione, vltra duas horas resistere. Nam ipsi turmatim modo pugnare ac diuisim, vt ingentem curruum seriem defenderent, cogebantur; hostes contra, prout ipsis libuisset, contracti, manipulatim adeo et cateruatim impetum faciebant. Hoc genere pugnandi tandem superatis Borussis, totum curruum agmen dissipatum, Zithenius vero, cum parte praesidii a reliquis diuulsus, assidue velitando Troppauiam repetere coactus est. Crocouius, belli dux, collectis reliquis et seruatis ducentis quinquaginta curribus, incolumis in castra regis peruenit. Inter hos triginta septem erant, pecunia

pecunia onusti, quorum nullus in hostium manus inciderat.

6. Nihil fane in tam impari certamine Boruffis virtus vlla profuerat, quum difficile haud esset, dissipare vecturam, quae curruum seriem per quatuor, certe tria, miliaria Germanica, extensam efficeret, et cuius praesidiarii integrae saepe horae interuallo a se inuicem abessent. Certe, quidquid vel a fortissimis quibusque bellatoribus expectatur, id omnè Borussi praestabant. Comitabantur agmen istud multi tirones, e pagis Marchiae et Pomeraniae, chiliadibus singulis supplementorum causa assignatis, (*Regiments - Cantons*) delecti, qui, quum hostem nunquam vllum vidissent, Romana tamen prorsus virtute pugnabant. Certe de nongentis non nisi sexaginta quinque capti, pauci quidam vulnerati, caeteri omnes, honestissimis vulneribus confecti, solum texere.

7. Statim post hanc iacturam Olomucium liberatum. Cuius obsidionem Keithius, summus praefectus, tanta grauitate soluit ac prudentia, vt incolumem commeatum omnem, tormenta omnia, quin aegrotos adeo, reduceret, quorum nonnisi triginta infirmissimos hostium humanitati curandos relinquebat. Atque hic rursus, quanta fortis aduersae iniquitate premeretur, exercitus sui ducibus, oratione habita Fridericus exponebat, qua simul significabat, se vna militum suorum virtute confidere, qua, scire se, ipsos hostem, vel in summis montium cacuminibus positum, aut inter tormentorum aggeres paene defossum, tamen inde deiecturos. At Dauius, regem a reditu in Silesiam interclusurus, quum omnes aditus, eo ducentes, obsepsisset, captumque iam a se exercitum Borufforum puta-

ret: Fridericus, repente conuerso itinere, non Silesiam, sed Bohemiam petiit, diuifoque in varias partes exercitu, superatis per inuios montes difficultatibus maximis, post uelitationes cum hoste acerrimas, per Glaciensem Comitatum tandem in Silesiam peruenit. Etiam Keithius adeo, qui tormentario apparatusi deuehendo, et curruum quatuor amplius millibus, praesidio erat, quanquam undique laceffitus ab hostibus, tamen immani hoc agmine montes altissimos, atque angustias undiquaque obiectas incredibili felicitate sic emensus est, ut nihil plane desideraretur. Caeterum mutato iam belli genere, Friderico, hoc quidem anno, Austriacos ultro petere non amplius licebat, propterea, quod Russi in aliam terrarum ipsius partem irruerant, quos ut inde depelleret, celerrimis sane consiliis opus habebat.

8. Reuerterant illi, Fermorio, duce, ineunte iam anno, in Borussiam, quae, quum vacua prorsus esset exercitu, sine vi vlla ac sanguine tum occupata est. Fermorius itaque triumphans Regiomontum ingredi, campanis, tympanis, ac buccinis, per totum diem, e cuiusuis templi turre sonantibus. Attoniti autem ciues, Russorum immanitatem, superiori anno demonstratam, nondum obliti, Augustae Russorum clementiam et auxilium implorare. Quibus haec Fermorius, memoratu sane digna, respondit: "*Commode vobis euenit, o carissimi, quod in meae potissimum dominae manus istud regnum incidit, cuius sub imperio mitissimo nonnisi fausta quaeque experiemini. Equidem operam omnem dabo, ut quidquid apud vos in republica constitutum est, (quod video esse rectissimum et perfectissimum) id sartum tectumque conseruetur.*" Quo facto
ille,

ille, statim per veredarium missis Petropolin vrbis clauibus, nobiles, salutatum admisso, splendidis conuiuio excepit. Statim quoque ab hoc inde tempore Borussiae regnum Russi, vt suum, atque in futura pace sibi addicendum, et tractabant, et ad finem vsque belli, summa et maxime laudabili aequitate administrabant.

9. Iamque omnium collegiorum ac tribunalium praefecti cum consiliariis et scribis, in templo arcis regiae, sacramento adigebantur, se neque priuatim, neque publice quidquam, vnde detrimentum Augustae Russorum res caperent, admissuros. Aegrotantes domi suae sacramento dixerunt. Senatus facer pro Augustae salute preces publicas, ad formulam praescriptam, ordinare iussit. Equester denique ordo ac ciues, in templis quibusdam in verba Augustae Russorum iurabant, quo illos Russici milites, sollempnium istorum praesides, duxerant. Etiam festi Russorum dies definiti, quos imposterum incolae, partim frequentandis in templo sacris, partim intermittendis quotidianis operibus, celebrarent. Curatum denique, ne de commerciis, re veredaria, (*Postwescen*) et aliis, quae seruari omnino intererat, quidquam mutaretur.

10. Caeterum Regiomonti ac Pillauiae duodenoaginta tormenta ferrea Russi, cum magno globorum ac pyrobolorum (*Bomben*) numero, et orbis aliquoties centenis, puluere pyrio repletis, repererant. Atque, vti vix vnquam minori opera regnum vllum occupatum fuerat, sic pariter vix vllum a militibus, alias tam barbaris, ac successu rerum elatis, tractatum clementius. Quam expugnationem, (tam operosam scilicet) vt remuneraretur aula Viennensis, Fermorium,

cuius Augusta Russiae acta omnia rata habuerat, Comitibus Imperii dignitate ornauit.

11. Propter hanc tam inopinatam clementiam Borussiae ciues, velut obliti regis sui, colla, sub hostium eius iugo, non inuiti flectebant. Regiomonti certe multo plura fiebant, quam hostes ipsi postulasent. Sic a. d. IX. Cal. Mart. die natali Petri, Magni Russiae Principis, festi ignes per urbem, atque artificiosi incendebantur, et Academiae curatores adeo veniam petierant, ut sibi sollempni oratione, in auditorio publico habenda, celebrare laudes eius liceret. Hos ignes, cum arcibus triumphalibus, et alia eiusmodi pompa, Regiomontani, diebus Rufforum festis, suo sumtu frequentabant. Quod eos, licet metu horum ac iussos fecisse, credibile est; tamen Friderico, alta mente repositum hoc mansit, neque vnquam is deinde rursus, quoad vixit, Borussiam ingressus est. Caeterum ibi omnia tum tranquilla; partes reipublicae omnes, ordine non interrupto, administratae; redditus Ruffis traditi, nisi quod (pariter ut in Saxonia eodem tempore) collegiorum praesides occultis quibusdam viis, quas Ruffi perpetuo celabantur, magnas pecunias, fidei suae documenta certissima, ad regem perferendas curabant. Tandem, relicta Borussia, Fermorius cum exercitu, cui triginta traharum millibus commectus aduehebatur, Pomeraniam et Marchiam petebat. Quibus in terris quum non amplius, ut in Borussia, feuro aulae interdicto copiae Rufficae coercerentur; statim sanguine et incendiis earum vestigia signabantur.

12. Ad Suecos quod attinet, his Dohnauii, Comitibus, exercitus, ante Rufforum aduentum, vndique in angustias

gustias compulsis, ipsi adeo Stralesundiae imminebat. Sed irrita haec commoda statim noui hostis aduentu facta. Qui quo minus rem e vestigio gereret, com-
meatus aduehendi et horreorum parandorum tarditas impediabant. Neque enim satis erat, Russos Vistulae fluuii imperium habere, nisi Varthae quoque ripas tenerent. Itaque Pofnania potiti, Poloniae maioris vrbe, nec minus Elbinga, ac Thorunio; Gedanum quoque occupaturi erant, vt ibi veluti promptuarium belli haberent; sed irritum consilium fuit. Nam incolae huius vrbs, Borussis tum fauentes, non tantum, se Russis munimenta vrbs exteriora tradituros negabant, verum etiam, si vim res spectasset, defensionem parauerant. Qua tamen opus minime fuit, quum Russi tempus morandi non haberent, sed in interiores ditionis Borussicae regiones cogitarent, quas recta Fermorius petebat. Igitur cum octoginta militum millibus Pomeraniam et Marchiam nouam ingressus, Custrinium obsidebat, frustra impedire id conante, propter paucitatem suorum, Dohnaui. Caeterum, quod his copiis constitutum erat, barbarorum Nomadum more, igni ac ferro omnia vastare; primo statim die misera vrbs, in cineres redacta, vna cum granario ingenti, conflagrauit. Vix incolis spatium datum, vt, omnibus nudati rebus, miserrimam vitam seruarent. Trans Viadrum ergo profugi, fumum ex incensis aedibus suis, in nubes sublatum tristes videbant. Quidquid porro vicini, quin peregre adeo profecti, supelletilis, vt a Cosaccorum rapacitate tutum esset, in hanc vrbem contulerant, id omne cum numero insigne, tum pretio paene inaeestimabile, a flammis consumtum est. Data enim opera impedire hostes voluisse, ne quid, quod cuiusquam esset ciuium, seruaretur, inde patet,

quod vel tum falaricos globos pergebant in urbem conicere, quum iam ignes omnibus locis grassabantur. Tandem circa vesperam conici ignes sine causa desiti. Et tamen ipse Fermorius, quidquid pyrobolorum (*Grenaden*) superesset, illa adhuc nocte iubebat immitti, propterea quod (ita dicebat) eorum in huius quidem anni expeditione nullius usus esset amplius futurus, globos autem tormentarios (*Canonkugeln*) ad praelium reservari. Quinto demum die (nam tamen interdum Ruffici exercitus duci in mentem veniebat, cultiorum populorum more agere) a praefecto, ut se dederet, postulabat; quanquam et hoc ipsum more barbaro. Minabatur enim insultum moenibus, cruentam vero necem praesidiariis ad unum omnibus, nisi confestim urbs traderetur. Sed praefectus respondit: "*Nihil quidem urbs, nisi lapidum congeriem, refert amplius, atque ipsa iam horrea conflagrarunt; sed quum integra adhuc munimenta sint, et incolumes praesidiarii, equidem ad extremum usque spiritum me defendam.*" Idque ille fecit in iplis ruderibus, quanquam non magna artis cum peritia. Qua de re post apud regem suum se excusaturus, haec verba responsi loco tulit: "*Ego ipse in culpa sum, qui te praefectum esse iusserim.*"

13. Quem vero assaultum moenibus Russi erant minati, is intermissus est, quum in regem appropinquantem omnium iam animi essent intenti. Ante cuius aduentum Dohnavius, auxilium urbi laturus, Viadro iunctis ratibus traiecto, viam patefecerat, qua praesidiariis munimentorum alii per vices possent succedere.

14. Rex igitur, maxima exercitus parte in Silesia relicta, cum quatuordecim lectissimorum millibus iter magna celeritate facere coeperat. Haec parva manus
 summa

summa vlciscendi hostis cupiditate flagrabat, quem nondum viderat, cuius tamen immanitas, per famam satis cognita, torrentem sanguinis poenae loco videbatur exposcere. Crescebat iis furor, postquam, vastatas regiones ingressi, ruinas locorum ac cineres fumantes conspexerant, e quibus patriam vix agnoscerent. Itaque ad hostem festinare omnes; molestias cunctas contemnere; sitimque, feruida aestate ortam, e lacunis adeo restinguere. Fridericus quum quatuor et viginti diebus, sexaginta milliaria Germanica cum hoc exercitu confecisset, a. d. XII. Cal. Sept. in vicinia Custrinii erat, vbi Dohnauianum exercitum suo iungebat. Quum is loco, ab hostibus non praeuiso, Viadrum traiecisset, eaque re Fermorii consilia turbasset, obsidione statim soluta, vterque exercitus, opposita fronte, praelium parabat. Nunquam fortasse post hominum memoriam tantus pugnandi ardor in vlllo exercitu fuerat, quanta tunc in Boruffico, quem Bellona vniuersum impleuisse videbatur. Ipse rex, tot ruinarum, tot ciuium errantium, omnibus rebus spoliatorum, adpectu incensus, vindictae studio reliqua omnia postponens, vetabat vilius Russorum vitae parcere; nihil non contra tentabat, vt hostes reditu interclusos, in paludosa Viadri loca compelleret, quo consilio pontes quoque, iis effugium praebituros, incendi iusserat. Sub ipsum pugnae initium hoc Borufforum furore Russis nunciato, vna veluti vox omnem aciem perlonabat: *Boruffos nemini parafuros*. Resonabat alia: *Nec nos iis parcemus!*

15. Iniquissima tum quidem, si vnquam alias, Friderici erat conditio, quum ab huius pugnae exitu omnia penderent. Nam id tum agebant plures hostium exercitus, vt, inuicem coniuncti, a Viadro atque Albi
ipsum

ipsum excluderent. Iam Francogalli cum exercitu Germanico in Saxoniam contendebant, quo etiam Daunius cum exercitu Austriacorum primario venerat. Sueci, Borufforum metu liberati, nullo iam hoste opposito, Berolinum, vndique patens, petebant; post hos denique omnes Russi, ferro ac flammis obuia quaeque vastantes, in media Marchia grassabantur.

16. Neque vero Friderici consilium, prudentissime excogitatum, tam erat hoc, ut Russos vinceret, quam ut eorum exercitum plane deleret, ita tamen, ut, si secus res cecidisset, reditus Custrinium pateret. A. d. VIII. Cal. Sept. praelium commissum. Russorum pugnabant quinquaginta, Borufforum triginta millia. Ab his tormentorum explosione pugnandi initium factum. Et quum Russorum agmen esset quadratum ingens, (quo in bellis Turcicis vulgo utebantur, et in quo equitatus, cum impedimentis, et copiis subsidiariis esset inclusus) horrendum sane in modum in hac hostium tam incondita turba grassabantur emissi tormentorum globi, ut etiam vnus duo et quadraginta cristatae cuiusdam chiliadis milites, perhibeatur prostrauisse. Iidem praeterea vehementer impedimenta turbabant, ut equi cum curribus diffugientes, ordines ipsos percurrerent, donec ex illo quadrato omnes eicerentur. Sinistra tamen Borufforum ala quum adeo vehementer in hostes irrumperet, ut latus iis nudum daret: hanc equites Russorum suam occasionem rati, peditatum Borufforum aggressi, cohortes aliquot repellebant. Fermorius, se iam vicisse ratus, quadratum agmen vndique aperit ad hostes acerrimo cum clamore persequendos. Sed non longe Russi processerant, quum ordines eorum plane confusos animaduertens Seydlitius, belli dux, cum equi-

equitatu Boruffico se infert, Russosque equites, loco deiectos, in suos ipsorum pedites impellit. Simul in hos ipsos ab alia parte alia Borufficorum equitum manus impetum faciunt, et, quidquid ferro possunt attingere, ad interuicium caedunt. Quin aliquot equitum defultoriorum (*Dragoner*) inter Boruffos chiliades, ne fumantis quidem Zorndorfii adpectu absterriti, per medias flammis Russos petunt; quos Seydlitius, victo, (quem modo dicebamus) Russorum equitatu, e vestigio sequitur. Hinc iam horum equitatu simul a latere, a tergo, a fronte, petito, incredibilis laniena fieri coepta. Spectaculum enim, nunquam in acie ante hac visum, Boruffis Russi praebentes, consumtis sclopetorum embolis, (*Patronen*) statuis similes adstabant, non virtute aliqua admiranda, quam gloriae studium aut patriae amor gignerent, et qua locum suum fortiter defenderent, (neque enim resistebant) sed stupore quodam incredibili, ictum caedis ibidem patienter expectantes. At integris ordinibus ita prostratis, alii se offerebant, qui, idem sibi fieri, velut optare viderentur. Quin adeo caedere eos, multo erat, quam fugare, facilius; quum ne ictus quidem glandis, pectus medium perrumpentis, ad eos prosternendos sufficeret. Nihil itaque Boruffis restabat, nisi, ut quosuis, cedere nolentes, interficerent. Sic tota Russorum ala dextra partim caesa, partim in paludes compulsa. Plurimi fugientium in impedimenta incidentes, lixarum carris direptis, vinum adustum, pecudum more, in se ingurgitabant. Ibi frustra ordinum ductores dolia disiicere; milites enim contra, velut insani, humi totos se prolicere, ut potum tam suauem inde lamberent; alii ebrii expirare, alii a ductoribus interfici; integrae denique cateruae, spretis horum imperiis

periis et clamoribus, furiosorum more in loco pugnae discurrere.

17. Haec dextrae Russorum alae facies, eaque circa meridiem erat, in sinistra nondum tanti tumultus acciderant. Iam hanc quoque Borussi inuaserant, quum ecce! quae victoriam iam reportatam augere debebant, chiliades, destitutae virtute consueta, oblitae Borussici nominis, et quasi virium suarum nesciae, in ipso victoriae momento, vidente rege, debilitatis iam ac paene debellatis Russorum copiis cedunt. Erat iam summa confusio, videbanturque omnia praeclara sinistrae alae facinora incassum suscepta. Verum ecce! Seydlitius ab illa ala aduolans, lacunam a peditatu cedente factam subito explet, ingentem e tormentis et sclopetis globorum grandinem sustinet, nec modo Russorum equitatum, sed et peditum quidquid adhuc restiterat, inuadit, hostesque, iam eo progressos, vt aliquot tormentorum aggeres in potestate haberent, in paludes repellit. Hunc equitatus impetum, (vnicum vere sui generis) lectissimae peditum chiliades, Principis Borussiae, Forcadia, Calcstenia, Assenburgica, ac nonnullae cristatorum cohortes, a rege omnes e Silesia adductae, summa vi adiuuabant. Hi omnes, cedentium iuxta ipsos cohortium ignauia minime turbati, assidue aduersus hostem promouerant, iamque iuncto equitatu, Russorum peditatum praefixis verutis petebant. Nunc demum sclopetorum ictus, consumto puluere pyrio, vbique rarefcere; mutui contra sclopetorum manubriis, verutis, atque ensibus, ictus inferri. Quam incredibili vtrinque furore pugnatum sit, hic apparet, quod Borussorum plurimi, vulnerum acceptorum oblitae, pergebant hostes caedere; nec Russi segniores. Repertus est

est ex his quidam grauissime vulneratus, moribundo Boruffo incubans, eumque dentibus crudelissime dilanians; quod hic, morti proximus et immobilis coactus est perferre, donec accessissent commilitones, qui barbaram belluam confoderent.

18. Forcadia chilias cum Principis Boruffiae chiliade in impedimenta Russorum et aerarium quum incidisset, maximam eorum partem ceperunt. Tandem finem praelio nox, et vtrorumque summa defatigatio fecerunt, nisi quod Cofacci adhuc vulneratos inermes occifuri, per agros discurrent. Vterque etiam exercitus per noctem sub armis mansit. Russorum summa erat confusio, permistis inter se omnium cohortium militibus. Quin lubentes victoriae laudem Boruffis concessissent, nisi, deiectis fluminum pontibus cunctis, reditu interclusi fuissent. Ea re perturbatus Fermorius, vesperascente caelo, bidui vel tridui inducias quum petiisset, ad sepeliendos, vt dicebat, occifos; tam miram rem petenti Dohnauius, belli dux, respondit: *” Vt occifi sepeliantur non minus, quam, ut vulnerati colligentur, regi, pugnae huius victori, curae fore; neque inter exercitus, a praelio recentes, inducias fieri vulgo solere.”* Postero die nihil nisi tormentis vtrinque explodendis pugnatum. Ac volebat rex redintegrare praelium, nisi partim pedites omnem puluerem pyrium absumsissent, partim equitatus, nimia paene virium intentione praelium committendo defessus, finem certamini imponere coactus fuisset. Qua occasione vsi incredibilibus redeundi difficultatibus Russi tandem se expedire, et Landsberga ad Vartham exercitum reduxere. Constiterat haec iis clades vndevinginti caesorum ac vulneratorum, captiuorum autem tribus

tribus millibus; centum ac tribus tormentis, signis quam plurimis, aerario bellico, et magna parte impedimentorum. Borussi caesorum et vulneratorum numerabant decem millia, captorum aut dissipatorum mille quadringentos; iidem, cedente ala sua dextra, viginti sex tormenta amiserant.

19. Haec pauca tormenta, item captiuos illos milites quod in potestatem redegerant Russi, partemque exercitus, admodum confusam, in loco pugnae continuerant, victoriae sibi laudem opinabantur deberi. Sed ipse Paninius, eorum belli dux, non verebatur fateri, mansisse eos quidem in loco pugnae, sed non nisi vel exanimos, vel vulneratos, vel ebrios. Et tamen Fermorius, quamuis caesorum humandorum veniam petierat, per veredarios, ad omnes fociorum exercitus et aulas dimissos, vicisse se, nunciari iussit. Nec vnquam alias frequentius, quam hoc bello, haec mentiendi artes adhibitae, quae a solis Borussis contemnebantur. Qui quoties victi vere fuerant, aperte confessi, spe abolendi noua victoria dedecoris ac reparandi damni sustinebantur. Ita Fridericus ipse, ita omnes exercitibus eius praefecti. Sin vicissent, relicto victis vano errore, falsisque de victoria nunciis laetandi studio, victoriam ipsam potius persequebantur. Tum quidem rex, praelio victor, Russos fugientes Landsbergam vsque persecutus, tam certus erat eorum imbecillitatis, vt non nisi partem exercitus, Dohnaui duce, ad eos obseruandos relinqueret, aliam aduersus Suecos mitteret, cum tertia denique ipse in Saxoniam, in qua praesentia eius valde opus erat, proficisceretur.

20. Caeterum summa animi magnitudine Seydlitii in se merita rex agnoscebat, huius maxime opera victoriam

etoriam sibi contigisse, palam professus. Neque tamen ipse sibi pepercerat, sed tanto impetu se Russorum ictibus obtulerat, ut multi circa eius adiutores et pueri aulici vel caderent, vel vulnerarentur.

21. Apud Borussicos tamen non modo milites, sed et rusticos, immanitatis Russorum memoria sic aliquandiu ipsum humanitatis sensum hebetarat, ut haud pauci horum grauissime vulnerati, in ipso pugnae loco destituti iacentes, simul cum caesis eodem tumultu viui, conderentur. Qui quidem inter mortuos sese mouendo, quum vellent emergere, nouis cadaueribus iniectis, irriti eorum motus impediabantur.

22. Inter haec Austriaci, regis absentiam suam occasionem rati, quum vltro iam arma inferre possent, ex ingenti exercituum suorum frequentia prosperrima quaeque augurabantur. Sed omnia in celeritate exsequendi posita esse intelligebant. Iam quum obsessae a Borussis Silesiae fauces, urbiumque munitarum frequentia paulo maior, ea impedimenta obiiceret, quae non nisi serius remoueri possent; ideo hanc prouinciam velut appendicem belli arbitrabantur. Paratiorem victoriae materiam Saxonia offerebat, quo tum Daunius cum exercitu vniuerso, tum Dux Bipontinus cum principum Germanicorum copiis, venerant, et Borussis tam quaestuosam prouinciam erepturos se, vndique minabantur. Quam qui parua manu tuebatur Henricus, Borussiae princeps, potentioribus coactus cedere, Dresdam se conuertit. Hanc regiam ut expugnaret, Borussisque, nisi deletis, e Saxonia certe profus eiectis, regem Albi plane intercluderet, omnem operam Daunius dederat. Id tantum restabat, ut quam diutissime hostis formidolosus in suis terris occuparetur. Igitur Daunius, per

litteras Fermorium monebat, ne cum rege, hoste tam callido, (sic eum appellabat) praelio decertaret; sed, donec liberata esset Saxonia, non nisi defendendo bellum duceret. Sed quum litterarum perlator veredarius in regis manus incidisset, hic post praelium Zorn-dorfense, Fermorii nomine, Daunio his verbis respondit: "*Quod Fermorium monuisti, ut callidum hostem caueret, quem tu ipso melius nosse, recte fecisti: nam is, quum incaute se obiecisset, victus est.*"

23. Interim Henricus, fratris agilitate fretus, studebat expeditionum atque itinerum varietate locum suum aduersus tam numerosos hostes tueri; in quo nec successu carebat. Contra ea Sonnensteniense castellum, ab exercitu Germanico obsessum et expugnatum est, quum praefectus Borussicus, animo fracto, cum mille quadringentis praesidiariis se dedidisset. Ab alia parte Daunius, Dresdae capiendae periculum facturum, cum exercitu vrbi, nec a praesidio, nec a munimentis valde instructae, appropinquabat. Sed ibi quidem Schmettauui, Comitum, praefecti, animus ac prudentia nihil non praestabat. Simulando enim, se suburbia magnificentissima, quorum domus nonnullae sex vel septem contignationes haberent, iisque super vallum adeo eminent, incensurum, aulam cum ciuibus in summum pauorem coniecerat; qui in lamenta erumpabant, cum primum ille materia, ignibus concipiendis apta, domos impleri iusserat. Conquerentibus ea de re necessitatem ac defensionis officium sibi iniunctum idem obiiciebat. Nam quum Daunius, suburbiorum incensionem acerrime se vlturum, neque vlli Borussorum, expugnata vrbe, parsurum se minitatus esset; ille, postulari a se, qui hostis esset, negabat, iure posse, vt
regiae

regiae parceret, nisi idem Saxonum focii fecissent. Addebat, se, quum necessitas cogeret, per singulos vrbis vicos defensionem continuaturum, ad extremum autem sub palatii regii ruinis defendendo periturum. Hoc quoque consilio puluerem pyrium ei admoturum, omni- que aula et nobilitate per vim eo ducta, in ipso prin- cipis Saxoniae heredis cubiculo, inter medias regiae familiae trepidationes, vltimos hostium conatus exspe- ctaturum se dicebat. Quae minae, quantumuis vanae, tamen ita praemeditatae, tam tempori aptae, non pot- erant non, ipsa sua immanitate, quod ille voluerat, ef- ficere. Sic igitur factum; Daunii de Dresda consilium omissum; suburbia a Schmettauio seruata; materia flam- marum ex aedificiis sublata; incolarum animi tran- quillati.

24. Neque tamen propterea non enormis illa ex- ercituum Austriaci et Germanici vis ac potentia, nouis et maioribus Saxoniae occupandae consiliis occasionem dedit. Sic decretum erat, vt Henricus, princeps, simul a fronte ac tergo petitus, plane opprimeretur. Conue- nerat iam res inter praecipuos exercituum duces, omnesque exsequendae eius apparatus erant facti, quum ecce! vnus de Friderici aduentu nuncius totum illud consilium, velut ictu aliquo fulminis, disiecit. Vene- rat enim is, et focia cum fratre arma iunxerat, vt praelio commisso, Austriacis in Bohemiam repulsis, Si- lesiae opem ferret, quae tum, parum firmata praesidiis, in summo periculo versabatur. Ibi enim hostes, factis crebris exactionibus, et Nissiam, et Coselium oppugnare coeperant. Follequetus (*Fouquet*) cum quatuor Bo- rufforum millibus, castra ad Landshutiam munita ha- bens, etsi conatus hostium turbabat, impedire tamen

prorsus minime poterat. Daunius contra, praelium curiose euitare, Friderici in Silesiam iter morari, diligentissime disposito milite, conabatur. Castra habebat ad Stolpenam Saxoniae munitissima, in montibus praeruptis, quos piscinae insuper, paludes, silvae, ac fauces tegebant. Ipse cum militibus ibi bono animo esse, laetari, atque adeo, ne quid deesset, sacris operari. Quam enim sociorum victoriam apud Zorndorfium fuisse ipsi opinabantur, ea hymni Ambrosiani decantationi, accinentibus buccinis ac tympanis, nec non tormentorum ac sclopetorum explosionibus, clamoribusque laetissimis, occasionem dabat; nec nisi cordatiores in eo exercitu dubitabant de veritate victoriae, quam regis aduentus, et mutata ipsorum consilia fatis, scilicet, refellerent. Verum etsi variae eorum cateruae locis suis erant deiectae, velitationes mutuae frequentabantur, via Silesiaca iam patebat; tamen Daunius loco non moueri; nec vicissim rex, cum, intercipiendo comiteatu, vastandisque granariis in Bohemiam reprimendi spem abiicere, securus interim, exercitum Germanicum, qui comiteatu ac pabulis laborare iam coepisset, sua sponte discessurum. Itaque, positis ad Budissam castris, quod suos per bimestre iam spatium quotidie defatigatos, requie opus habere intelligeret, annique tempus iam paulo asperius factum esset; a peditatu casas, ignibus ad calefaciendum alendis aptas, ab equitatu autem stabula e virgultis fieri iusserat. Omnino, quo tum statu et ipse et exercitus fuerint, ex eius litteris, ad Mareschallum, nobilem Britannum, ineunte Octobri, datis, optime iudicari potest, in quibus inter alia sic scripsit: "*Donec prima nix ceciderit, ego funambulū cogar agere. Ab! Quoties dimidia eius, quam tu scribis, gloriae bellicae parte, paululum otii, me subit, redimere!*"

25. Tandem vterque exercitus castra mouerant. Daunius sua non procul a prioribus, Borussi iuxta Hochkircham ponebant. Sed apud hos, quum Rezouius, belli dux, per incuriam collem quendam non occupasset, magnae rei gerendae ansam dedit, quae, dum regi paene interitum attraxit, tanto magis virtutes eius bellicas illustrauit; omninoque inter grauissima huius belli opera merito refertur. Nam quum neglecti hi a Borussis colles, per Austriacos statim occupati, diligentissime munirentur, tantum hi inde commodi sentiebant se percepisse, vt ipsi Daunio, alias cunctatori, regis in castris suis opprimendi consilium subnasceretur. Vniuersam rei exsequendae formulam Laudonium descripsisse aiunt, non excogitatum certe prudentius, quam effectui datam animosius et fortius. Omnia fauere incepto visa. Vterque exercitus tam sibi vicinus, vt dextra Borussorum ala, non nisi globi tormentarii ictu a castris hostium abesset. Adhaec inprimis idonei ad hanc rem erant, quibus Austriacorum exercitus abundabat, leuis armaturae milites, quorum quum velitationes nec interdiu nec noctu cessare consuessent, maiora his dissimulare licebat. Borussi porro, Friderico duce, ipsi semper adhuc inuadere hostem soliti, vix per somnium credebant fieri posse, vt a Daunio cunctatore vltro inuaderentur, cui alias ne munitissima quidem castra satis munita esse, scirent, quoties formidolosum sibi hostem in propinquo haberet; quum et audacem eius animum probe nosset, cui nihil inaccessum videretur, et incredibilem copiarum Borussicarum in acie ordinanda, et hoste inuadendo celeritatem minime ignoraret. Daunius itaque vel summa omnium rerum adhibita cautione, tamen tum quidem fiduciam maximam in securitate regis et militum, quam putabat se intellexisse, posuerat.

26. Neque tamen regi obscurum erat, quam iniquo loco cum suis constitisset; sed recipere exercitum, partim turpe, partim ne necessarium quidem existimabat. Sic, quum Keithius, summus belli dux, qui in armis consenuerat, ei dixisset; *si Austriaci Boruffos ex hisce castris intactos dimitterent, suspendio dignos fore; rex: Sperare oportet, inquit, fore, ut nos vehementius, quam patibulum, extimescant.* Sed tamen mutare castra tandem decreuerat, cum primum nouis commeatibus instructus exercitus fuisset. Ei castrorum mutationi, destinata erat nox, quae Idus Oct. antecederet. Ab vnus igitur dieculae discrimine tot millium vita pendeat.

27. Sed iam ea nocte, quae est inter a. d. III. et prid. Id. Oct. omnis Austriacorum exercitus diuersis partibus, ad subito inuadendos Boruffos e castris erat profectus. Primum agmen ducebat Odonellius, belli dux, cohortes habens quatuor, et turmas triginta sex; Sincerus sequebatur cum sedecim, et Forgatschius cum duodeuiginti cohortibus. Laudonii manum, quae a tergo paene castrorum regis erat, quatuor aliae cohortes, cum quindecim turmis, augebant, eique postea totus alae sinistrae equitatus se adiunxit. Eiusdem alae pedites ducebat ipse Daunius. Hi omnes, praeter alias minores cateruas, alam Borufforum simul a fronte et a tergo erant adorturi; Ahrembergius contra, Dux, cum cohortibus tribus et viginti, turmis autem duobus ac triginta, iussus erat, dextram eorum alam otiose obseruare, nec, nisi confecta demum, omnibus caeteris locis, clade, inuadere. Exstiterant adeo in primo agmine cristati, qui, quum sua sponte post equites, equis insedissent, ante castra Borufforum desilirent, formatisque ordinibus, appropinquarent.

28. In castris praeterea Auftriacorum, relictiis tentoriis, ignes soliti diligenter alebantur. Iussa quoque erant magna operariorum turba per totam noctem arbores ad obsepienda loca caedere, et, vt strepitus augeretur, intermissis cantibus, sibi inuicem acclamare, ne primae Borufforum stationes, exercitus proficiscentis tumultum animadverterent. Neque tamen hostium hi motus velitum Borufficorum vigilantiam effugerant, qui eos regi statim nunciabant. Is primo de iis omnino dubitare; deinde pluribus idem nunciantibus, alia potius omnia, quam hostilis exercitus aduentum, augurari. Erant illa ipsa hora apud eum Seydlitius ac Zithenius, qui, quum nihil non tentarent, vt eius dubitationes, tam ancipiti praesertim tempore, tollerent; id tandem efficiebant, vt pars exercitus surgere, et aliquot equitum chiliades equos sternere iuberentur. Sed hoc quoque ante primam lucem renunciato, miles securus se somno et quieti tradiderat.

29. Nondum lux erat, et quinta hora in vico Hochkirchano sonuerat, quum ecce! hostes pro castris adsunt. Integrae lectissimorum militum cateruae ad primas stationes accedunt, transfugas se esse dicentantes. Horum mox ita numerus crescit, vt stationariis ipsis potiantur. Exercitus Auftriacus ipse, primum agmen e vestigio secutus, diuersis partibus, Borufforum castra ingreditur. Horum multae chiliades suorum adeo tormentis explosis demum somno excitantur, quod hostes, relictiis magnam partem suis tormentis, abunde tormentorum ac pulueris pyrii, in expugnatis celeriter Borufforum stationibus et aggeribus, repererant, quibus aduersus hos ipsos extemplo vterentur.

30. Nunquam profecto iniquius cum villo actum est exercitu, qui fortissimis abundaret militibus, quam illo tempore cum Borussis, sub Friderico propugnatore dormientibus, subito autem in ipsis castrorum penetralibus ab hoste potentissimo correptis, ferroque et igne ad subeundam mortem excitatis. Nox erat, et incredibilis omnium confusio. Horrendus militi adspectus, ac nocturno phantasmati simillimus. Austriaci, velut e terra coorti, inter media Borussorum signa, in ipsis castrorum adytis, versantes. Magna igitur pars in tentoriis statim, ante quam oculos aperuissent, caedi: alii feminudi in armis discurrere. Paucissimis sua licueratprehendere; sed primo quoque telo arrepto, quisque ad ordines suos aduolare. Hic vero demum feuerioris disciplinae militaris commoda in oculos manifeste incurrebant. Hoc enim rerum statu, vbi resistere velle, temerarium fore, nihil autem miles quisque, nisi fugam ac salutem cogitare debuisset, videbatur, haud dubie quilibet aliarum nationum exercitus plane periisset; ac vel fortissimi bellicosissimique Europae totius milites non magis rerum a se gestarum, quam gloriae bellicae finem fecissent. Nam tum quidem in virtute parum, in ordine contra ac disciplina erant omnia.

31. In castris Borussorum clamores bellici quam velocissime diffundi: e tentoriis omnes erumpere, et breuissimo tempore, in magna illa perturbatione, maxima tamen peditum et equitum pars, aciem instruxerat. Sed quum, pro ratione facti ab hoste impetus non nisi singulae chiliades pugnare possent; eae vndiquaque hostibus obiectae, plurimis eos locis repellebant; sed alibi rursus praeualido hostium numero cedere cogebantur, ne luce quidem orta confusionem impediende, quum
spissa

spissa nebula pugnantibus incumberet. Circumuolabant, Seydlitio duce, equites Boruffici victoriam anhelantes, sed nescii, vbinam per tenebras hostem quaererent; quoties autem casu reperissent, caede omnia ac sanguine miscebant. Vna quidem cataphractorum (*Cuirassiers*) chilias Schoenaichia integram peditum Austriaeorum aciem (*Linie*) fuderat, quingentis ex ea captis.

32. Ipsa Hochkircha, flammis ardens, a Boruffis fortissime defendebatur. Quem vicum qui obtinuissent, quum victores futuri viderentur, Daunius identidem recentes copias ad impugnandum submittebat. Qui autem tenebant, Boruffi sexcenti, consumto pyrio puluere, per medios hostes quum tentassent percurrere, pars eorum id perfecit, reliqui omnes aut caesi, aut vulnerati, aut capti. Sed statim integrae Borufforum chiliades submissae hostes e vico eiiciebant; vnde iam ibi pertinacissime pugnabatur. Franciscus, Dux Brunsvicensis, per globum tormentarium capite truncari; Keithius, vulnere in pectore accepto prostratus, illo ipso temporis puncto exanimari, Mauritius denique, Dessauiensis, lethali ictu vulnerari. Quum igitur Boruffi, a fronte simul ac tergo vrgente hoste, cessissent, equitatus Austriaeorum iam in fortissimas quasque Borufforum chiliades pedestres se inferebat. Rex quidem ipse, inducto recenti milite, hostem repellebat, sed equitatus hostium identidem, quidquid loci creptum esset, recuperabat.

33. Dispulsa tandem nebula, quum campum, caesis confitum, vterque exercitus conspexissent, horrenda vbique apparuit perturbatio. Et quidquid ad restituendum ordinem disciplina tentabat Boruffica, tamen, quo minus ad iustam legem ac veluti normam pugnaretur,

æris obscuritas et loci natura impediabant. Itaque novae utrinque acies coeptae erant instrui. Austriaci quidem ita erant disturbati, ut in collibus Hochkirchenibus, densis cateruis milleni vagarentur. Daunius adeo, licet voti compos, ut videbatur, vix tamen credebat, victum a se fuisse exercitum eum, qui spem ipsius tantopere fefellisset; qui, etsi media nocte in somno oppressus, tamen per tot horas, incredibili virtute in ipsis tenebris ac nebula pugnasset, amissisque ducum pluribus in eo esset, ut praelium redintegraret. Nam hoc ipsum Fridericus agebat, quum ecce! Ahrembergius, Dux, cum magna manu, fauente nebula, Fridericum a latere adortus, in sinistram alam impetu facto, aliquot Borussiae millia repellit, et magno aggere tormentario potitur. Atque hic terminus fuit Austriacorum victoriae. Rex, undique cinctum se hostibus videns, e medio tumultu contractis cohortibus suis, per quinque iam horas stupenda virtute praeliatus, ita se recepit, ut si ante bis mille annos hic receptus accidisset, consentientibus nunc profecto omnium laudibus celebraretur. Arcebantur enim hostes emissis frequenter globis tormentariis, atque equitum ordinibus, in planitie Belgerensi, per magna intervalla instructis, post quos peditatus sese recolligebat. Hunc igitur receptum impedire neque exercitus Austriacorum, quum et ipse esset perturbatissimus, poterat; neque volebat Daunius, qui iam praelio ad Collinam commisso, fugam hostium minime impediendam, immo iuvandam esse, prae se tulerat.

34. Neque vero longe Fridericus cum exercitu abiit, sed horae modo interuallo, in iis, quos Montes acutos (*Spitzberge*) accolae vocant, castra cum suis posuit, quibus sane, amissis maximam partem tormentis

mentis et impedimentis, hinc paulo iam asperiori anni tempestate, fagis pro tegmine, caelo pro tentoriis, erat vtendum; et quos pulueris pyrii adeo ac plumbi apparatus, nostra aetate tam necessarius, defecerat. Ac si forte tum iterare praelium oportuisset, veteris aevi more, manu conferta viritim pugnandum fuisset. Sed tam opportuno scilicet loco castra rex posuerat, tam foecundum arcendi periculi praefidiis ingenium habebat, tam denique formidandi post ipsam cladem acceptam eius milites videbantur, vt Daunius ab omni redintegrandae pugnae consilio abhorreret. Caeterum infausto isto die Borussi, praeter impedimenta, nouem militum millia, ac tormenta amplius centum, Austriaci octo suorum millia amiserant.

35. Rex in medios se ignes coniecerat adeo, vt equo, quo vehebatur, glande plumbea traiecto, duo pueros aulicos iuxta se prostratos videret. Ac prope aberat, quin caperetur, cinctus iuxta Hochkircham vicum ab hostibus; sed velitum comitantium virtute euasit. Omnino, neglecta vita, aderat, vbicumque res postulasset. Nec vnquam summum eius ingenium sic enituit, vt illa ipsa nocte, quae, tantum abest, vt eius gloriam bellicam minuerit, vt etiam haud parum auxerit. Non profecto tam admirabuntur eum philosophi, historici, omninoque cordati homines, medio bello rempublicam administrantem, nec secus, quam altissima pace, edictis promulgandis curantem, tempore maxime ancipiti tibia canentem, statimque mandata distribuentem sapientissime, pridie praelii, de belli summa ineundi, carmina Francogallice pangentem, leges ferentem, et rationum fasciculos perlegentem, victorem prope Lissam, in Silesiae campis tactica Graecorum praecepta facto ipso

ipso docentem, et formidolosam nationum bellicosissimarum agmina delentem, non, inquam, talem ita admirabuntur, ut eundem venerabuntur, subito petitem, pulsum, nec tamen victum, dormientes milites excitantem, obliquentemque hosti, non minus forti, sed haud paulo numerosiori, omnibus rebus instructo, in mediis iam castris grassanti, suisque ipsorum tormentis in Borussos faeuienti; hoc turbulentissimo temporis momento videntem amicissimum sibi virum eripi, praecipuos belli ducum cadere, iamque, sibi soli relictum, rationes sapientissime excogitantem, quibus exercitum confusissimum, inter medias caedes instruat, per quinque horas pugnans, et summa cum cautione se recipientem, denique, hoc rerum suarum statu, sine tormentis, sine apparatu bellico, et impedimentis, formidabilem hostibus, ac breui post vrbes remotissimas obsidione liberantem. Talis princeps omnibus gentibus atque aetatibus admirationem quin extorqueat, dubitari profecto non potest.

36. Caeterum nonnullae tum chiliades, ante multos annos primum collectae, quae saepius iam felicibus praeliis, nunquam cladi ulli, interfuerant, tum primum hostibus terga cogebantur vertere; eadem vere iniunctae futurae, si hunc diem, quantumuis et ipse tanta Borussia gloria bellica cumularat, quanta vix decem victoriae, si, inquam, hunc diem non vidissent.*) Ac multi ex earum ductoribus tanta militaris

*) Ex harum numero fuit quoque Forcadia pedestris, quae Berolini in praesidio est, et in qua mihi militare contigit. Hae, ab anno inde saeculi huius sexto ac vice-simo ad Octobrem duo de sexagesimi, fugam et cladem non nisi fando nouerant.

ris gloriae cupiditate incendebantur, vt, quum plane hostibus nollent cedere, horum ferro caderent; alii, quum in praelio cadere, quam diei tam infausto superesse mallent, vi paene adhibita e loco pugnae essent amovendi.

37. Haec victoria quum Austriacis ipso Mariae Theresiae Augustae die onomastico contigisset, quo die in terris, Romanae sacrorum formulae addictis, munera dari mutuo et accipi solent; Daunius quoque eius victoriae nuncio dominam suam impertiuit. Cui illa huius transmissae veluti frenae causa, litteris humanissime scriptis gratias egit. Atque Clemens XIII, Romanus Pontifex, quo et ipse gaudium suum testaretur Daunio, vt eo faciliys haereticos debellaret, pileum et gladium, vtrumque consecratum, transmisit.

38. Sed hic, quum nunquam cautior, quam post euentum aliquem paulo laetiores esset, positis castris munitissimis, paene inuictis, omnes Fridericum atterendi occasiones, e manibus dimittebat. Qua mora in suam hic rem vsus prudentissime, partim Dresda, partim ab Henrici fratris exercitu, quidquid sibi com meatus aut instrumenti bellici deerat, aduehi iusso, reliquis imperatis, sex militum millia, a fratre subsidio missa, cum exercitu suo coniunxit, atque in Silesiam iter molitus est. "*Quum, inquit, e laqueis nos Daunius passus sit euadere; alea nondum perdit est. Itaque, per aliquot dies refecti, ad Nissam liberandam proficiscemur.*" Sed multa prius scilicet impedimenta oportebat remoueri. Castra referta erant aegrotantibus, Budissa autem vrbs omnibus in praelio vulneratis. Hi ante omnia amouendi erant, cibaria paranda militibus, Saxonia munienda, hostes denique, qui vias omnes,

omnes, in Silesiam ducentes, tenebant, simulatis aut flexis itineribus eludendi. Omnia haec ex voto pe-
 racta, ita quidem, vt rex iam a. d. VIII. Cal. Nou.
 vndecimo a pugna die, iter Silesiacum esset ingressus,
 tantumque viae confecisset, vt Daunius eum se affecu-
 turum desperaret. Sed tamen haud paruam manum,
 laceffendi causa, eius vestigia sequi iussit. Qua occa-
 sione inprimis sedulum se Laudonius exhibuit, nunc
 expedita manu fauces insidens, nunc ex tuto loco tor-
 mentis proficiscentes petens, nunc e sylvis, torrentis
 in modum, in eos irruens. Nihil tamen actum his
 omnibus, nisi aliquot rates iunctae, et currus impedi-
 mentorum Borussis erepti.

39. Obsederat inde ab aliquo tempore Nissam
 Harschius, Austriacorum belli dux, exigua (vt omnes
 Borussiae regis vrbes munitae, propter castrorum ac
 praeliorum necessitates) praesidiariorum manu instru-
 ctam. Huius expugnandae spes quum partim propter
 regis, partim propter iusti exercitus ab illa tota re-
 gione absentiam, ab initio statim magna spes affulsisset,
 post praelium Hochkirchense, vt omnis Europa existi-
 mabat, paene certa euaserat. Nam quum alias non nisi
 post victorias, aut alios certe faustos euentus, vrbes
 obsessae liberari et soleant et possint; quis Fridericum,
 praelio victum nuperrime, cinctum exercitibus hostium
 numerosissimis, et quadraginta milliarium interuallo dis-
 iunctum, succurrere Nissae suae posse, vnquam putaf-
 set? Et tamen omnium expectationem fefellit, trede-
 cimque dierum confecto itinere, Nonis Novembr. ter-
 tio ab hac vrbe milliario abfuit. Nec praelio ibi tum
 villo opus fuit, quum eodem die Harschius, soluta ob-
 sidione, relicto ingenti instrumento et apparatu bellico,
 Mora-

Morauiam cum suis repetiiffet. Incepta is prid. Non. Aug. obfidiōne, inde ab a. d. III. Id. Octobr. tormentis urbem petierat; fed praefidiariorum virtute infigni omnes eius insultus irriti fuerant redditi.

40. Non filendum eft hoc loco, quod tum fecit foemina Germanica, nobili genere, fed longe nobiliori animo, quum res et parum diuulgata fit, et Friderico ipfi, nunquam, vti videtur, innotuerit, quoad ille vixit. Trescouius, belli dux, vrbi praefectus, villam haud procul ab vrbe habebat. Ibi verfabatur eius vxor illo ipfo tempore, quo vrbs coepta erat ab Auftriacis obfideri. Qui quum vererentur, ne obfidio in longum extraheretur, et rex, quantumuis loco difiunctiffimus, tamen irrita ipforum confilia redderet; proditiōne rem optime ac celerrime confici putabant poffe. Scilicet paulo ante ab Auftriacis captus fuerat Trescouius, quem non modo ipfum, fed et eius vxorem, quae virum, leuandae captiuitatis caufa, in Auftriam fuerat fecuta, humaniffime aula Caefarea tractauerat. Itaque quum non poffet foeminae illuftri nifi dulciffima effe Mariae Theresiae Auguftae memoria; hinc follicitandae eius Auftriacis fubnata occasio. Ergo miffus ad ipfam ab exercitu ductorum aliquis, qui ei com meatum ab Harfchio, fummo duce, afferret *). Eum, vt patronum, hospitio exceptum, liberaliffime illa tractat. Quum vefperi in villam perueniffet, ibidem fane ho-
fpiti

*) Hanc ego narrationem ex Eichbeccii, Baronis, ore haufi, eius ipfius, cui totum iftud negotium mandatum fuerat. Erat is tum in exercitu Auftriacorum centurio, Laudoniique et Harfchii, belli ducum, adiutor. Viuit idem adhuc in Italia, vbi mihi omnem rei geftae ordinem ipfe copiofe expofuit.

spiti pernoctandum erat. In coena, quum essent sine testibus, velut bellariorum vice, de Maria Theresia Augusta sermo incidit. Ibi tum Trescouia, animi magnitudine impulsâ, in eius laudes copiosissime digredi. Iam ab altero illo conditiones aperte offerri; magni honores cum ingenti pecunia promitti; de simulando ab Austriacis in urbem impetu, deditioe faciendâ, silentio altissimo vtrinque seruando, multa dici. His foeminae animus vehementissime commoueri, vt vix continere se posset, donec ille orationem absoluisset. Tum vero ea exsilire, et inter multos planctus, iniuriam sibi factam queri, exclamans identidem. "*Haecine ita fieri? Talesne mihi conditiones ferri?*" Quidquid ille hinc ad eam tranquillandam, siue rem, tanquam infectam considerando, siue silentium perpetuum promittendo, afferebat, incassum apud eam loquebatur. Iamque illa omne consilium de tuto expectando in villa sua obsidionis sine, prorsus abiiciebat, vt, recusato commeatu, neglecto otio et cunctis commoditatibus, cum obsessis inde in turbarum, inopiae, et periculorum societatem veniret, villam contra suam, vnum familiae fundum, quinquaginta viri stipendiis acquisitum, summa animi magnitudine, praedam hostibus obiiceret. Eadem legato illi: "*Nos pauperes sumus, inquit; nec praeter hanc villam quidquam nostrum est. Eam ego tuae fidei trado; si vlcisci me libet, licet.*" Frustra tum ille, tanta animi magnitudine commotus vehementissime, ad genua foeminae accidere, et, vt consilium mutaret, ab ea petere. Etenim, quamuis iniuriam sibi factam illi ignoscere se ea diceret, tamen in hostium regis sui potestate diutius esse noluit, sed illa ipsa adhuc nocte profecta est, nullis cibariis, quamuis eorum penuria vexari urbem sciret, eo secum allatis. Eam ad

exte-

exteriora vsque munimenta comitatus ille miles Austriacus, plenus admiratione, reliquit.

41. Quod Austriaci hucusque clausum tenuerant, Coselium, quum et ipsum liberatum esset, e tota Silesia omnes iam eorum copiae discesserant. Sed quamquam ibi bellum erat finitum, tamen in Saxonia Daunius, in qua cum exercitu primario remanserat, quod ea parum praesidiis firmata esset, magnas se adhuc ante finem hyemis res gesturum, sperabat. Atque etsi fructuum victoriae Hochkirchensis, quos omnis Europa expectabat, nulla adhuc cernebantur vestigia, consiliorum tamen magna erat copia. Dresdam, Lipsiam, ac Torgauiam, ferebatur, subito ac diuersis exercitibus occupatum iri. Ipse Daunius regiam petebat, non adeo facile, ut ante, ab ea abiturus. Borussiae exigua tum in Saxonia manus erat; sed ea agilis admodum et strenua. Quam, etsi Hulfenii, et Itzenplitii, veteranorum belli ducum, imperio dicebatur subesse, vere tamen Finkius, his multo iunior, regebat. Ac seposita praeclari illi viri inuidia omni, id modo honorificum sibi rati, si gentis suae famam bellicam auxissent, et Friderici consilio satisfecissent, huius voluntati parendo, iunioris ducis ingenium lubentes suspiciebant. Eum in finem hostium vi ac potentiae prudentia et consilio oppositis, Dresdense praesidium ante omnia augebant. Et, quum regis Poloniae liberi eo tempore, vana spe lactati, in neutram partem quidquam decernerent, Schmettauus praefectus, tandem coactus est, suburbia incendere. Haec, ipso aedificiorum modo, magnificentissimas Europae vrbes aequabant, erantque domus spatiosissimae, ibi exstructae, vel diuitum ac procerum palatia, vel artificum plurimorum officinae,

nae, qui elegantissimis operibus, quantum industria Saxonica efficere posset, ostenderent. Haec omnia itaque incensurum se, cum primum hostis appropinquasset, minantem Schmettauium, aula quum audisset, vultu ac gestu omnes, hoc se minime impedituros, significabant. Itaque, accedentibus hostibus, excubiis Borufforum ad urbem reuocatis, a. d. IV. Id. Nov. signum incendendi datum. Iam, quum in singulis domuum conclauiibus inter media supellectilia admodum pretiosa, artisque opera et instrumenta, inserti essent acerui materiae, flammis alendis aptae; paucis horis ducenta sexaginta sex aedificia igne consumta sunt, incolis inde dilapsis, quorum paucissimi concesserunt ad asportandas suas res, haud paucas sane et leues, spatio vti potuissent, quod plaustra cum equis, et baiuli deficerent. Vnum par coniugum, aetate confectorum, viuum flammis combustum, tres alii praeterea periere. *)

42. Hoc incendium aegre ferre visus Daunius, e Schmettauio quaesivit, num hoc in mandatis a rege suo habuisset, vt inauditum adhuc inter Christianos in ipsa regia facinus committeret, interminatus simul, se rationem omnium, quae is fecisset, ab ipso repetiturum. At ille praeter belli consuetudinem, factis notam, etiam regis mandatum de defendenda ad extremum vrbe, ei regessit, adiungens, (vt ante) se aduersus Daunii exercitum, per plateas vrbis singulas pugnando, sub ipsis regii palatii ruinis periturum esse. Ac iam obsidionem Dresdae parabat Daunius, nisi
infausti

*) Quae de factis Schmettauii crudelibus vulgo ferebantur, ea senatus Dresdensis testimonio, admodum honorifico, quo eum profecutus est, satis refutata sunt.

infausti e Silesia de liberata Nissa, de Austriaci exercitus in Morauiam reditu, ac de nouo Friderici in Saxoniam itinere allati nuncii, totum consilium irritum reddidissent. Itaque ab vrbe discessit, caussatus more aulico, non nisi regiae familiae reverentia impulsum se obsidione abstinuisse. In Ephemeride bellica exercitus Austriaci legebatur, grauiissima quadam de caussa id factum esse; quae nulla scilicet alia erat, nisi regis aduentus. Pariter, quae de Torgaui et Lipsia occupandis agitata erant consilia, disturbabantur, quum Dohnaui ac Vedelii, belli ducum, aduentu, fere eodem tempore vtraque vrbs liberaretur. Nihil itaque Austriacis et exercitui Germanico, praesertim, quum Sonnenstenium, arcem nuper occupatam, sponte reliquissent, supererat, nisi, vt Bohemiam peterent. Daunius quidem exercitus, imperio suo subiectos, ita per hyberna tum disposuit, vt ingens quaedam et horrenda praesidiorum veluti catena, qualem Germania nunquam adhuc viderat, exsisteret. Ea per Silesiae et Saxoniae fines pertinens, continuata per Thuringiam et Franconiam ab exercitu Germanico, per Francogallorum copias finiebatur, quae per Moenum ac Rhenum dispositae, ripas tanti fluminis ad Heluetiae vsque fines tenebant.

43. At Russi, post praelium Zorndorfense, regis discessu paululum leuati, bellumque continuaturi, Colbergam obsidere decreuerant, vt belli sedem et horreum insigne in terrarum Borussicarum penetralibus haberent. Quod oppidum et propter exiguum militare praesidium facile expugnabile fore, et propter portum adiacentem, praeter comneatum, alia commoda haud contemnenda praebiturum, videbatur. Iam-

que totius Pomeraniae fors pendebat a septingentis militibus prouincialibus, qui sub emeriti ductoris imperio, Colbergam praesidio tenebant. Hic praefectus, Heydenius nomine, quum non esset de vulgo ductorum militantium, non modo diligentissime apparatus omnes ad oppidum defendendum fecerat, verum etiam ingentem ea in re animum, et constantiam minime vulgarem demonstrabat. Nam quum Palmbachius, belli dux, cum decem Russorum millibus urbem oppugnare coepisset, et quinto die iam crypta (*bedeckte Weg*) potitus esset, vt certa iam expugnationis spes esse videretur; praefecti ac ciuium virtute, qua veteranos adeo aequabant, vltius progredi prohibitus fuit. Et quanquam nouis subinde militibus e primario exercitu aucti obsessores impetum iterabant, nihil tamen poterant efficere, sed vicesimo die soluere obsidionem cogebantur. Qua spe deiecti Russi, relicta Pomerania et Marchia omni, partim in Polonia, partim in Borussia hybernatum profecti sunt. Vnde etiam Dohnauius, belli apud Borussos duci, in Saxoniā, ad liberandam Lipsiam licuit, vt diximus, cum suis contendere.

44. Sueci hoc anno, etsi quinque peditum millibus et sexcentis, equitum vero duobus millibus aucti, nihilo tamen plus, quam superiori, egerant, quum eos sua inertia, et huic adiunctum dedecus, non sociorum modo, verum adeo popularium suorum contemptui exponerent. Quum praeterea huius inertiae causae, quas supra exposuimus, paucissimis essent cognitae, non magis Vienna ac Berolini, quam Holmiae tam imbecillis exercitus irridebatur. Vnde factum est, vt exinde paulo magis ad bellum incensi, deposita huma-

humanitate, cuius laude per integra saecula etiam, quando hostes essent, floruerant, turpibus factis animum bellacem commacularent. Nam cum primum Borussi vel paululum recesserant, statim illi praedationibus et omni immodestiae genere lasciuire; Cosacis ipsis (si a ferro et flammis discesseris) non multum cedere; oppida et vicos, quos intrassent, funditus exinanire; incolis miseris non panem, non pecora relinquere, quin ipsas humi segetes conculcare. Mitebant adeo armatos in terras Megapolitani Ducis, (quanquam hic foederis societate cum ipsis erat iunctus) qui inde commeatus, per vim, tanquam ab hoste, exigendos, imperarent. Caeterum foedus inter ipsos ac Russos, cuius illo anno finis instabat, tum denuo in annos duodecim renouatum.

45. Mense quidem Octobri, quo Marchia vacua erat milite Boruffico, Berolino inhiabant, aberantque non nisi quinque lapides ab hac regia, quum Vedelius, cum suis aduolans, eos repelleret, nec prius cessaret, quam ipsos sub Stralesfundiae moenia reiecisset. Vnum illi Fehrbellinum Marchiae, vt terga defenderent, paulo numerosiori praesidio firmarant; sed hoc oppidum (propter Friderici Gulielmi M. victoriam insignem, de iisdem ante centum paene annos, reportatam, celeberrimum) aggressi sine vlla mora Borussi, assaultu recipiebant, praesidio partim caeso, partim capto.

46. Iamque ex omni parte huius anni bellum erat finitum; medio certe Decembri nulli amplius hostes in Silesia, Saxonia, Marchia ac Pomerania visi. Victus ille, medio Octobri, Fridericus, Saxoniam, et utrasque fluminum, Albis ac Viadri, ripas tenebat.

Idem intra septem hebdomades e Saxonia in Silesiam erat profectus, quo temporis interuallo, fatis breui, Nissa, Coselium, Dresda, Lipsia ac Torgauia fuerant liberatae. Quod si haec Tactics imperiti stupebant, multo magis certe periti admirabantur, qui difficultates, in movendis magnis exercitibus obijci solitas, distinctius nossent. Hinc etiam Bellislius, summus Franciae regis administer, quum belli gerendi formulam describeret, et quidam ei haec Borussorum itinera praedixissent, quod ea sic fieri nunquam posse, ei viderentur, eorum in sua belli formula habiturum se rationem negans: "*Quantumcunque, inquit, praestare Borussiae rex possit, hoc tamen certo scio, eius exercitum non esse textoris pectinem.*" Iam porro Austriaci in Bohemia ac Moravia novas belli gerendi rationes excogitabant; Russi in Borussia ac Polonia horrea complebant; Principum Germanicarum copiae in media Germania etiam hybernium otium meditabantur; Sueci denique, sua Pomeraniae parte per Borussos eieci, quomodo sub Stralefundiae moenibus tuti essent, curabant.

47. Neque vero minus memorabile Foederati cum Francogallis hoc anno bellum gesserunt. Ineunte iam anno Richelius summum exercitus Francogallici imperium Claramontano (*Clermont*), Comiti, tradere quum esset iussus; hic, supremus iam belli dux, ante clericus, qui nullum vnquam exercitum, ne decurrentem quidem, vidisset; Pompaduriae autem, regiae pellicis, ac tum Ludouici XV. non magis, quam Franciae vniuersae moderatricis, gratia, propter ingenium aulicum, haud parum valeret; ab ea beneficio aliquo ipsum deuinctura, exercitui praefectus, in Germaniam missus est, vt armorum Francicorum gloriam adversus

fus magnum hostium ducem tueretur. Ea res cum omnes omnino in stuporem rapiebat, tum Fridericus, ea audita: "*Huic, inquit, equidem Archiepiscopum Parisinum, propediem, spero, successurum.*"

48. Sed commissum sibi exercitum Claramontanus miserrime sese habentem reperit; de quo tum Havrincurtius, Marchio, Francogallorum ad aulam Holmensem legatus, in litteris ad Montalambertum, Marchionem, datis, ita scripsit: "*Copias nostras Claramontanus incredibilem in modum perturbatas offendit. Nullus ibi ordo, nulla in disponenda per hyberna milite consensio, nulla futuri cura, nulli comteatus et cibarium apparatus, ut breuiter dicam, summa omnium rerum inopia.*" Quin ipse dux nouus haec ad regem retulit: "*Equidem exercitum tuum, in tres partes, admodum illas inter se diuersas, distinctum reperi. Prima, supra terram, furibus constat et erronibus, pannis obsita; altera sub terra est; tertia nosocomia repleuit.*" Petebat inde, vt sibi rex mandata mitteret, vtrum primam domum reduceret, an exspectaret, quoad cum duabus reliquis se coniunxisset?

49. Cui colligendi se spatium concedendum minime ratus, Ferdinandus, Hanoueram petiit, eo euentu, vt, vbicunque primum eius agmen se ostendisset, hostes tanta festinatione fugerent, vt aegroti omnes cum tormentis atque impedimentis relinquerentur. Solus Chabotus, Comes, Hoyae ad Visurgim constitit, donec, post certamen haud leue, Carolus, Ducis Brunsvicensis filius, (qui nuper patri successit) captis mille quintis, eum inde depelleret. Atque hae erant primitiae eius virtutis, quae breui tempore praecipuum quendam inter summos aetatis nostrae belli duces lo-

cum huic principi peperit, destinato illi a prouidentia diuina, vt domum Oraniensem vltus, Batauorum ferociam sine caede et sanguine perdomaret.

50. Capta Hoya, aliae vrbes, Cellae, Hanouera, Brunswicum facile occupatae, leuioribus foederatorum copiis, hostes ante se agentibus. Atque in tanto Francogallorum, summa confusione vndique fugientium, pauore, ingens eorum numerus, per rusticos Hanoueranos, eorum faeuitia irritatos, periere. Quin octo dierum spatio omnibus terris Hanoueranis plane egressi hostes, effuso cursu, relictiis horreis omnibus, Rhenum petebant; quorum, quaecunque euertere non potuerant, ea omnia in Foederatorum manus peruenerunt. Hunc discessum vt sibi suisque tutiorem Claramontanus redderet, quatuor suorum millia, Mindae in praesidio relicta, hostibus obiiciebat. Foederati autem hanc urbem oppugnatam post sex dies ceperunt, trium millium cum quingentis praesidio, et ingenti horreo captis. Vesaliae demum quum Francogalli substitissent; dux eorum, ibi fixo praetorio, plerosque suorum Rhenum iussit traicere.

51. At Ferdinandus, quum haud fatis ab equitatu valeret, (nam, quas Hanouerani et Hassiaci equitatus chiliades, nonnullas item Borussicas equitum defultoriorum et velitum in exercitu suo habebat, ii ad magnas expeditiones bellicas minime sufficiebant) Britanniae senatus non modo equites Anglicos in Germaniam mittendos, verum etiam pedites iis addendos decreuit. His exponendis quum Embda Frisiae videretur opportunissima; esset autem eo tempore in potestate Francogallorum, qui eam, propter portus commoditatem prouenturium belli et horreum primum esse

esse voluerant, ideoque trium millium et octingentorum praesidio tenebant; hoc eorum consilium quouis erat pacto disturbandum. Quod hoc modo factum est: Venerant ad portum naues duae Britannorum bellicae, eumque obsidebant. Quibus conspectis perterriti praesidiarii, quum vererentur, ne, impetu maritimo ac terrestri simul in ipsos facto, a suis intercluderentur, nihil sibi, nisi abitum, relictum putabant. Quem etiam illi statim magno cum incommodo susceperunt. Nam, qui in nauibus Britannicis erant, armati milites, cum Borussorum velitibus, et Hanoueranis, venatorio habitu indutis, ita in iis abigendis certabant, vt multis eorum caesis, plures caperentur; vulnerati autem et aegrotantes omnes defererentur. Nec minus impedimenta, instrumenta bellica, et horrea quaedam insignia ibi capta, et obsides quidam recepti. Et, quum per nimiam fugae festinationem Francogalli oblitii essent, Vechtanae arcis, quae erat in vicinia, praesidiarios revocare, hi postridie statim cum centum tormentis Foederatorum se potestati dediderunt.

52. Atque sic, Martio iam mense, quo caeteri Borussorum, Auftriacorum, Russorum, Suecorum, ac Germanorum exercitus in hybernis adhuc erant, inopina haec rerum conuersio accidit, qua Francogallis secunda fortuna inebriatis, ferarum more, per sylvas, niuibus conuersas, actis, Germania inferiori plane liberata, belli scena prorsus immutaretur. Neque praeter Valsalium, vllas vrbes munitas, illi amplius tenebant. Quam ipsam quoque iis erepturus, ipsosque trans Rhenum pulsurus erat Ferdinandus, nisi prius in Vestphalia hybernis exercitum reficere, et equitatus Britannici aduentum expectare voluisset.

53. Nondum ex memoria cladem Rosbacensem Francica natio dimiserat, quum hac belli scena grauissime denuo affligeretur. Magnum enim suorum exercitum fugari ab exigua manu Germanorum, satis festinanter collectorum, qui praeterea equitatu non admodum valerent, fugari insuper ab iis, quos ipsa, paucis ante mensibus victos, contumeliosissimeque tractatos, in angustum terrae continentis angulum compegisset, et salutem in foedere parum honesto quaerere coegisset, haec, inquam, concoquere eius gentis superbia minime poterat. Quum igitur Ferdinandum, duces audacissimum, superato Rheno, in intimis iam Franciae penetralibus, quin ante ipsas Lutetiae portas cernere sibi omnes viderentur; nihil iam non tentabatur, ut e remotissimis regni partibus excitae copiae, exercitum ad Rhenum aucturae, magna cum festinatione mitterentur, vrbes vero et castella in confinio Franciae et Germaniae sita, quam celerrime munirentur. Et, ne animi gentis, pacem iam bello praeoptantis, plane deficerent, de ea, per Hispanos concilianda rumor spargebatur.

54. Etsi vero, qui plurimum Versaliae tum auctoritate valebat, Bellisius, omnem ingenii aciem ad obstruendos malorum fontes intendebat; coniectisque in carcerem Lutetiae publicum (*Bastille*) multis ordinum ductoribus, ad omnes chiliadum Francicarum duces, litteras, feuerissimis mandatis, minisque adeo grauissimis plenas, dederat; tamen hae parum curabantur. Nimis altas scilicet malum radices egerat, nec tollere sine mutata rei militaris Francicae vniuersae facie, illud licebat. Nulla enim in eorum exercitibus, agminibus, castris, praeliis, erat disciplina, nullus ordo, nulla imperata faciendi alacritas; tanto plus contra
moris

moris barbari, legis arbitrariae, et intemperantiae dissolutissimae. Infimi adeo ordinum ductores, pellices secum ducere: hae, dum agmen iter facit, rhedis vehi, comitantibus etiam amatoribus, et, relicto gregario milite, amori operam dantibus. In castris autem Francogallorum reperiri, quidquid regiae vel magnificentissimae luxus expromeret; omnium rerum, cum natarum, tum factarum, summa copia esse: tabernae innumerabiles, serica omnis generis, mundus elegantior, liquores odorati, crinales sacculi, thecae vultibus pingendis, (*Schminkdosen*) venum exponi. Quin aliquando in exercitu Solbifii, principis, qui tum non amplius quinquaginta militum millibus constabat, praeter ductorum impedimenta, lixarum et calorum currus, duodecim millium numerum aequabant. Vnam quidem Praetorianorum turmam, centum vndequadraginta equitum, quae Villaregii, (*Villeroi*) Ducis, imperio suberat, mille ducenti equi sequebantur, quorum exigua pars ad homines vehendos, reliqui omnes ad trahendos currus adhibebantur. Tam immanis vecturae moles quum non magis militum sustentationem impediret, quam exercitum in castris agentem et proficiscentem turbaret, etiam quoslibet copiarum motus insigniter retardabat. Agebantur in castris choreae, nec raro, relicta statione, ordinum ductores pyrrichium in proximo saltabant, irrisisque ducum imperiis, non nisi, quoties commodum esset, parebant.

55. Huius contumaciae St. Germani comes (*St. Germain*) e praecipuis ducibus, postea apud Danos copiarum summus dux, et apud Francogallos rei bellicae praefectus (*Kriegsminister*) insigne exemplum dedit. Qui quum, in exercitu Francogallico legatus, manu

manui decem millium selectae praeesset (offensus, nescio qua re, a Brolio, summo duce,); huic plane se hinc negavit pariturum, ac paulo post, ne salutato quidem illo, aut curata tot millium suae gentis salute, milites deseruit, fatis habens, per litteras ei significasse, quonam loco manum, suae fidei commissam, reliquisset. Neque vero haec paene perduellio apud exercitum, vel domi, quanti vere erat, tanti habebatur. Parisiis quidem, eum non *impetrasse*, sed *sumsisse missionem*, vulgo dicebant. Nulla hic gens, alias tam ambitiosa, conditionis, honoris, generis, patriae habita ratione, nihil tum quidem aliud, nisi partim in aula, partim in vrbe, verbis reprehendebat rem eiusmodi, cuius vel nuda cogitatio apud Romanos ac Borussos supplicii reum auctorem fecisset.

56. Hic Francogallorum animus, hi mores, tam varia, tamque mira a Germanorum disciplina et moribus militaribus diuersitate elucentes, eum apud hos Francicae nationis contemptum genuerant, quem huius nec reliqua virtus, nec ambitio debilitare vlllo modo poterant. Accedebant huc ipsae res, bello gestae. Vix enim se Francogallis Fridericus ostenderat, quum eos ecce! nullo paene negotio vincit. Ab alia parte Ferdinandus dispersis militibus, media hyeme collectis, eosdem, vana victoriarum spe inebriatos, paucis hebdomadibus, sine praelio, trans Rhenum fugat, ita quidem, vt duplo numerosior hostis, vbique relictis horreis, in vna fuga salutem sibi quaerendam putet. Ac profecto miserima fugientium, quum ad Rhenum peruenissent, erat conditio. Defessi, esurie macilenti, pannis obfiti omnes; necessitatibus vitae omnibus, variisque lixarum suorum et institorum castrensium mercibus, per leuiores Fer-

dinandi

dinandi copias spoliati; denique cibariis, et, (quod multo magis exhorrescebant) puluere comatorio carentes. Neque tamen in media egestate, innata eos hilaritas destituerat, quin cantarent, saltarent, in ipso itinere ludicro habitu incederent, aut, quae in aliis exercitiis indecora haberentur, ipsis ducibus indulgentibus, committerent. Saepe illi panes, verutis infixos et in altum sublatos, ferre; saepe carnes e gladiatorum manubriis suspendere. Gregariorum plerique, tibialibus destituti, caligas nudis pedibus circumdare; multi etiam chartaceas manicis fimbrias (*Manchetten*) affigere. Nec fere vllum alium apud exercitum, tantam hilaritatem quisquam videret, quae, non in itinere magis, quam in castris, non interdiu, quam noctu, non rebus secundis, quam aduersis, integrior seruaretur. Quod si forte alia spectacula deessent, prostibula, ad cingulum vsque nudata, virgis per ordines, animi causa caedebant: quod eo magis mirandum, quum et hoc et alia poenarum militarium genera plane infueta militum Francogallicorum corporibus essent.

57. Haec omnia contemptum gentis, apud Germanum militem augebant, ita, vt vix vnquam parem aduersus ipsam, alioqui fortissimam, fenserint. Ne iniquissima quidem conditione constitutus eum dissimulabat. Exemplum dedit quidam e velitibus Borussicis, quem captum Francogalli in praetorium duxerant. Hunc, quod raro contingeret, vt velites Borussici caperentur, ipsum videre et alloqui Claramontanus cupiebat. Merebat homo in chiliade velitum, cuius equites singuli atra veste conspicui, praeterea caluam, sepulchri symbolum, in fronte, mitrae appictum, gestabant, vt viuum veluti mortis *μνημόσυνον*, esset. Ac iam ipse ta-
lis

lis hominis adfectus, ensem manū vibrantis, quo vim verbis: AVT VINCERE AVT MORI, adderet, horrorem incutiebat videntibus, nec minus fortissimis Franco-galloſum cohortibus nigri hi velites erant formidolofi. Quumque fama eſſet, eos nemini reſiſtenti parcere, ipſi, quo facilius vincerent, hanc famam conſulto augebant. Quo fiebat, vt, quod vix cuiquam credibile videatur, integras turmas pauci eorum fugarent, ac ſæpius ſinguli magnas captiuorum cateruas in Ferdinandi caſtra adducerent.

58. Sed cum illo captiuo dux Francicus per interpretem ita fere collocutus eſt: "*Vbi caſtra habet Ferdinandus? — Vbi vos certe eum adorturi minime eſtis. — Quot millia habet regis tui exercitus? — Vos ipſi, ſi vobis animus ineſt, eum perſecuti, numerate. —* Hac hominis audacia Claramontanus minime offenſus, immo delectatus, quum porro ex eo quaſiuiſſet: *Num multos Boruſſiæ rex milites eius ſimiles haberet?* ille: *Equidem, inquit, ſum ex ignauiffimis, alioqui a vobis nunc captus non fuiſſem.*" — Talem tantumque animum extra Franciam reperiri, Francogallis ipſiſ miraculi inſtar habere videbatur. Itaque donatum aureo Ludouiciano hominem, Claramontanus dimittebat. Quem ille acceptum, vidente duce, militi Francico ſtatim redonauit, dicitans, ſe patriæ ſuæ hoſtibus nihil vtique vnquam debiturum. Quin offerentibus ſtipendium Francicum, cum loco ductoris, ſubridens, nihil aliud, niſi, *Boruſſum ſe eſſe*, reſpondit.

59. Sed e talibus dictis et factis gentium atque aetatum animi character profecto luculenter cognoscitur. Atque quum tanta mentis ſublimitas in milite gregario, non priuatis ſtudiis, ſed publica modo inſtitutione et communi populi ſenſu gigni poſſit; factum eſt quoque,

que, vt hunc hominem tanta Germanorum admiratio minime conſequeretur, quantam meruiſſet. Nam etſi res ipſa poſtea innotuit, tamen auctoris nomen obſcurum manſit.

60. Atque huiusmodi priuatorum dicta et facta memorabilia conſignare, hiftoricorum eſt. Quae etſi lubentius narrantur ab iis ipſis, quorum populares illuſtrant, tamen nec ab hoſtibus recte vel magno animo facta reticenda ſunt. Sic Armenterius, (*Armentieres*) Marchio, apud Francogallos belli dux, Bouillio, (*Bouville*) nupero Indiae Occidentalis victori, magnitudine animi haud inferior, quum urbem aliquam Hanoueranam, ſatis amplam, occuparet, proceresque vna cum plebe per legatos ab eo petiſſent, vt ipſis parceret: "*Quanquam, inquit, viri optimi, beneficiorum in vos conferendorum cauſa huc non acceſſi; tamen tam parum mali a me in vos proficiſcetur, quam parum per me fieri poterit.*" Nec fides verbis deſuit.

61. Sed longe maximum, idemque nobiliſſimum, et inuſitatiſſimum totius belli factum, ex his quidem, quae publice innotuerunt, et ipſum Francogallis debetur. Cuius narrandi commodum hic locum arbitramur, quocunque demum belli anno, aut anni die, acciderit. Ayafſa, Eques, ordinis in chiliade Aluernia (*Auvergne*) ductor, admodum iuuenis, quum partem copiarum duceret, noctu in ſylua a Foederatis oppreſſus, et a ſuis pauliſper diſtractus, repente a caterua militum integra cinctum ſe videbat, quorum veruta ſingula, in ipſum directa, pectus eius, ſi vel muſſitaret, erant tranſfixura. Hic, (multum ſcilicet praefendus magno illi Condaeo, qui, ſi ſibi periculum aliquod ſine vlla ſalutis ſpe oſtenderetur, timore ſe cariturum, quondam negarat)

garat) quanquam, si suis hostis aduentum alta voce nunciasset, periturum se planissime, praeuidebat, ac ne morte quidem ipsa suos certo seruaturum: tamen nihil, nisi officium cogitans: *En! hostes adsunt*, clamat, *o Aluernii!* Sed cum ipso hoc dicto, omnium verutis transfossus cadebat. Quum Decii quondam sua sponte bello se deuouebant, patriae salus, maxime periculoso tempore per ipsos reditura, eorum virtutem stimulis potentissimis videtur mouisse, quod admirationem Romanorum omnium, statuas, templa, ipsam denique immortalitatem, animo praeciperent. At ille adolescens, longe inferiori loco constitutus, nec splendidiora illa praeuidens, in ipso aetatis flore certissimam mortem oppetere non dubitauit.

62. Verum ad filum historiae pertexendum redeamus. Ferdinandus, recreato breui hyematione exercitu, expeditionem suscepit, satis audaci consilio bellum, nisi Franciae ipsi, certe eius finibus, illaturus. Et quamuis, quum Francogallorum exercitus per Rheni ripas, idque opportunissimis locis esset dispositus, difficillimum fore videbatur, hoc flumen traicere; tamen, superatis magna prudentia cunctis difficultatibus, ipsis Cal. Iun. noctu, foederatorum exercitus, partim ratibus iunctis, partim lembis, haud procul Cliuia, Rhenum saluus traiecit. Ibi quum Ferdinandus praelium optaret vehementissime, Claramontanus contra, vt hoc omnibus modis vitaret, castra exercitus sui, numero longe superioris, ad Rhenosfeldum, summa vi munierat. In quibus eum aggredi quoniam temerarium fore Ferdinandus videbat; nihil iam quidem supererat, nisi vt eum artificiosa aliqua fraude inde eliceret. Quae res eius peritiae bellicae prosperrime successit. Nam post
quin-

quindecim a traiecto flumine dies, exercitu Francogal-
lorum iam in planitiem Creueldianam deducto, a. d. IX.
Cal. Iul. praelium commissum est, quo Francogalli,
amissis septem militum millibus et quingentis, profliga-
bantur, Foederatorum autem mille tantum et quingenti
vel caesi erant, vel vulnerati. Caput pugnae sylua fue-
rat, quam, vter exercitus obtinuisset, is haud dubie
vinceret. Hanc Carolus Brunsvicensis, Ducis filius na-
tu maximus, cum peditatu ingressus, post trium ho-
rarum pugnam pertinacissimam hostes tandem eiecerat.
Prae caeteris in eo praelio male mulctatus erat equi-
tatus Francogallorum, cuius quaedam dicteria in equi-
tes Borussorum defultorios iacta, hi ira incensi, manu
iam acerrime vindicarunt. Magnam quoque ibi iactu-
ram fecerat vniuersa Francia in morte Gisorii, (*Gisor*)
Comitis, qui vnicus fuerat filius Bellislii, Ducis, admo-
dum adolescentulus, isque summi ingenii ac spei longe
maximae. Hic enim ad mortem vulneratus, in ample-
xibus principis Brunsvicensis, qui cognitum eum ama-
bat, expirauit. Ferdinandus quoque victor, locum pu-
gnae obiens, animo vehementer commoto, mutilata mi-
litum circumiacentium corpora intuitus, gratulantibus
sibi de victoria caeteris ordinum ductoribus, *Decies
iam*, inquit, *tristissimum hoc spectaculum oculis meis oc-
currit; vtinam nunquam amplius!*

63. Hanc victoriam secuta est Düsselfordpii obsi-
dio, qua in vrbe horreum aliquod Francogalli habe-
bant, idque primarium. Sexto demum die, quum iam
magna aedificiorum pars pyrobolorum et globorum ic-
tibus periisset, vrbs dedita. Praesidium incolume dimis-
sum; immanis autem frumenti, pulueris pyrii, plumbi,
ac tormentorum apparatus, in manum victoris peruenit.

H

Hoc

Hoc novo damno auctus in Francia metus; multi in publicum carcerem Parisiensem missi; Claramontanus ab exercitu reuocatus. Et quanquam cupienti eum ducere Delphino non permiffum, tamen ad tuendam armorum Franciae famam tentata omnia; exercitus ad Rhenum nouis supplementis, ac reliquis necessitatibus aucti, duces nouis mandatis instructi. Summum ad Rhenum imperium Contadio, belli satis perito, datum; Solbifius autem cum alio exercitu quouis modo Hassiam intrare iussus, cuius, propter Ferdinandi absentiam et facilior occupatio futura, et Foederatorum exercitum a Rheno auocatura videbatur. Is ergo progressus cum suis, quamuis fugato per militem Hassorum prouincialem primo agmine, tamen cum triginta militum millibus, in interiora Hassiae irrupit. Quam defensus princeps Isenburgicus, Hassorum belli dux, quum non nisi quinque millia secum haberet, hos castris inter Cassellas et Mundam opportuno loco positus, continuit. Hic quum intelligeret, cum tam parua manu, nec satis exercitata, iusto ac valde numeroso exercitui resistere se non posse, statuissetque morari hostes, donec de euentu expeditionis Rhenanae certiora cognouisset; eo consilio receptum parabat. Hunc quum miles Francogallorum iam contemtu plenissimus, constantissime renueret, coactus est resistere, et praelium Brölio, duci, duodecim mercenariorum, Germanorum maxime, millia, aduersus ipsum ducenti, ad Sangerhusam, vicum commisit, acre illud et vehemens, Hassis per quinque horas fortissime de victoria contendentibus. Vicit tandem numerus, et Isenburgicus, amissis morte, vulneribus, et captiuitate mille quingentis, etiam tormentis paene omnibus, loco cessit. Hassorum trecenti in Fulda amne, quem tranare conati erant, periere. Hac victoria Visurgis ripa potiti

Franco-

Francogalli, terras Hanoueranas et Vestphaliam inunda-
bant; nec minus Hassia belli asperitatem sentiebat.
Quae quum pacis condiciones victoribus obtulisset; le-
gatis illudens Contadius, *militem se esse, nec littera-
rum ductus scire*, respondit.

64. At Britannos pugna Creueldiensis, et Ferdi-
nandi ad Rhenum progressus, bello terrestri multo pro-
cliuiores, quam ante, reddiderant, nec populus magis
eius regni, quam senatus, vt omnibus modis Franco-
galli, et mari et terra peterentur, optabant. Ad cla-
uum reipublicae tum sedebat magnus ille Pittius, le-
ges ei pro arbitrio imponens, quum incredibili elo-
quentiae et ingenii vi, in consilio regis non minus,
quam in senatu, dictatorem verissime ageret. Cuius
viri inter alia erat etiam hoc, vt diceret: *Quamlibet
rem aut plane intermittendam, aut omni virium impetu
agendam esse*. Eiusdem de sententia senatus Britanniae
duodeuiginti militum millia in Germaniam transmittere
decreuerat. Quod si paulo factum esset maturius, haud
dubie Ferdinandus cum exercitu trans Rhenum se te-
nuisset. Nunc haud paulo iniquior, quam ante, erat eius
conditio. Oppositum enim sibi habebat octoginta mil-
lium exercitum, periti ducis imperio subiectum; deerant
iam alimenta militi; viae propter pluuiam diuturnam
factae erant inuiae; flumina denique ripas transierant.
Vnde magna cum molestia iter milites faciebant. Ad-
haec, ipso praelium nouum cupiente committere, Con-
tadius, quantum illo variis rebus superior esset, probe
sibi conscius, omnem pugnandi occasionem sollicitè vi-
tabat. Et tamen subitum Hassia flagitabat auxilium,
curanda erant alimenta exercitui, et copiis Britannicis
praestanda securitas, quae, quum in Germania Septen-

trionali iussae essent appellere, facile ab hostibus intercludi ab ea poterant. His omnibus ille causis inductus, quum decrevisset Rhenum rursus traicere, magnas vndique difficultates videbat, inprimis hostem cum magno exercitu sibi proximum, eundemque vigilantissimum. Fecerant in Rheno flumine pontem ad Reesiam foederati, quem Imhofius, belli dux, cum tribus militum millibus defendebat. Hic, a decem hostium millibus petitus, quum a Ferdinando auxilia subuenire non possent, sola sua ac suorum virtute cogebatur confidere. Castra habebat fossis ac vepretis munita. Quod quum nescirent hostes, ipse in rem suam vertens, non expectatis illis vltro obuiam ibat, idque acerrimo impetu, qui tanto plus efficiebat, quanto minus a tam exigua manu videbatur expectandus. Itaque intra horae dimidium fusi hostes, numero longe superiores, Vefaliam contendebant, relictis vndecim tormentis, puluere pyrio, multis curribus, et captiuis aliquoties centenis. Ac tam festinata erat eorum fuga, vt in medio cursu arma abiicerent. Certe in via Vefaliensi vltra duo sclopetorum millia dispersa reperiebantur.

65. Haec res quantumuis haud magni ad belli tanti summam momenti, tamen maximae instar habebat victoriae, quum tutam horrei magni Emericensis, et iuncti pontis possessionem praestaret, sine quo Ferdinando Rhenum rursus traicere non licuisset; sed ipse potius cum suis, alimentis et ratibus iunctis spoliatus, paruoque continentis angulo inclusus, praeda hostibus factus esset. Nunc de optato Rheni traiectu non dubitari amplius poterat, nisi, quod vndae tumefcentes pontem, ad Reesiam deiectum, prope Grithusam facere cogebant. Tentabant quidem Francogalli, qua-

tuor

tuor nauigiis, singulari quadam arte constructis, eum euertere; quae Vefalia erant emissae; sed his per lembos, armato milite instructos, interceptis, a. d. VII. et VI. Id. Iul. exercitus Foederatorum saluus et incolumis citeriorem Rheni ripam attigit. Paulo post Imhofius cum armata manu Britannorum copiis, quae Embdae appulerant, obuiam missus, nemine impediēte, eas prope Coesfeldiam *) ad reliquos foederatos adduxit.

66. Iamque Ferdinandus, vt fessum militem reficeret, opportuno ad Lippiam flumen loco castra posuit, quibus simul terrae Hanoueranac ab hoste defenderentur; Isenburgicus Vifurgim, Obergius, belli dux, cum viginti militum millibus Hassiam tueri iustus. Hic, positus ad Sandershufam castris munitissimis, nihil non faciebat ad laceffendos hostes, vt eius munimenta aggrederentur. Sed nolens hoc Solbifius, qui ei oppositus erat cum triginta millibus, omnibus contra modis tergo castrorum eius insidiabatur. Hoc ille veritus, quum castris discessisset, (quod ipsum Francogalli optauerant) a longe numerosiori exercitu ad Lutternbergam vndique petitus est. Pugnabant Hassi fortissime, et perditatum hostium iam repulerant, sed illo ipso temporis puncto, equitatus eos a latere ac tergo simul adoritur. Augebat cladem penuria equitatus in exercitu Hassiaco, et Obergium cogebat pedem referre, amissis mille quingentis, qui vel caesi erant, vel vulnerati, vel capti, tormentis autem duodetriginta desideratis.

H 3

67. Mul-

*) Sic haud dubie legendum pro: *Creuelliam*, quod per errorem typographi videtur in archetypum Germanicum irrepisse. Vid. Operis Tempelhofiani T. II. p. 410.
Nota Interpretis.

67. Multum ad hanc victoriam momenti fecerant Saxones, quorum decem millia paulo ante Francogallis se iunxerant; vix quidquam deinde ab his prospere gestum, cuius non magnam illorum virtus sibi partem vindicare posset. Et tamen a sociorum superbia plurimum ferre cogebantur, quae, si quid vspiam male gestum esset, Saxonibus plerumque culpam solebat tribuere. Erant autem hi maximam partem Borussiae transfugae, in Saxonia nati, qui aduersus principem suum arma sumere noluerant. Distributi itaque iam in duodecim chiliades, Francogallorum stipendiis militabant. Habebant secum quatuor et viginti tormenta, dono accepta a Delphini coniuge, huiusque nomine insignita, quod ea, amoris veluti pignus, adficiat patriae a se deberi existimabat. Manum illam ducebat Xauerius, eius frater, alter filiorum regis Poloniae. Qui quum paulo altius in hoc exercitu gereret supercilium, quo miles Saxonicus, (alioqui ad rem gerendam promptissimus, ideoque paulo humanius secum agendum ratus) grauius offenderetur; hinc non modo mustitari passim in castris, verum etiam illo praesente convicia ac probra iactari. Vix oculis et auribus fidebat ille, haec audiens, quippe educatus in aula, quae Asianis moribus et Orientis adulationibus adsueta semper fuisset. Quum ergo poenas illis gravissimas minaretur; e Saxonum ducibus nonnemo ei sapientissimum dedit consilium, vt, his deuoratis, vultum mutaret. Quod vtrumque simul ac fecerat, statim eum Saxones, non mutato caeteroqui de bellicis eius dotibus iudicio, vt regis sui filium, debita modestia prosequerentur. ●

68. Iam Solbifius, cui victoria Lutternbergensis eam dignitatem, quam Marechalli vocant, pepererat, vicinas

vicinas peragrare prouincias, pecuniam incendiis redimendis imperare omnibus, prope ad Hamelae moeniz accedere. Contra ea curia Hanoverae suprema in magna esse sollicitudine, ac tabularium cum caeteris rebus pretiosis Stadam perferendum curare. Ferdinandi tamen itinera et castrorum positus impediabant, quo minus vel vltius Francogalli progredierentur, vel exercitus suos coniungerent; sed potius post irritos aliquot conatus, in hyberna, Contadius quidem cum suis inter Mosam ac Rhenum, Solbifius autem ad Rheni et Moeni ripas, relicta plane Hassia, discederent. In hac contra hyemauit Ifenburgicus, vt in Vestphalia Ferdinandus, qui Monasterii tum praetorium constituit.

69. Atque huius magni ducis vigilantiae debebatur maxime, quod, quae ab aula sua mandata Franco-galli acceperant, (non cultiori populo illa, sed barbaris dignissima) exsequi non possent. Etenim media iam aestate decretum erat Versaliae, vt, nulla humanitatis habita ratione, e prouinciis expugnatis, quantum fieri posset, proficeretur. Itaque Bellislius, summus consilii bellici praefectus, iam tum Contadio his verbis scripserat: *”Equidem explendis nostris necessitatibus fontem alium praeter pecunias, ex hostium terris exigendas, nescio. Eaedem praeter pecuniam, reliqua omnia, sustentando exercitui necessaria, foenum, stramina, auenas, panes, frumenta, equos, iumenta, quin tirones adeo, ad supplendas militum nostrorum chiliades extraneas, suppeditabunt. Itaque intra finem Septembris huius anni opus erit, vt, quidquid terrarum hybernis nostrorum futuris oppositum iacet, vastam solitudinem referat, vt hosti, ad nos vel e longinquo appropinquare, minime liceat.”* Idem sequen-

tibus litteris a. d. III. Non. Octobr. datis etiam definitus: " *Omnis abs te Vestphalia crudelissime vastanda, et in regionibus ad Lippiam, nec minus in episcopatu Paderbornensi, quae sunt alias fertilissimae, omnia, quae terra gignit, radicitus euellenda sunt.*"

70. Quae etsi Francogallorum duces bellici non omnes per omnia, putabant, sibi exsequenda, erant tamen inter eos, qui, hoc se certe voluisse, factis ostenderent. Et quum pecuniarum exactiones vulgo apud populos vel cultissimos inter consuetas belli miseras numerentur; tamen, quoties exigendi modus modum omnem excedit, toties perscribi ad posteritatem merentur. Hoc tum ita accidit in Comitatu Hanouiensi, qui non minus, quam reliqua omnis Hassia, summam belli per hostes acerbitatem expertus est. Erat ibi Fullonus, apud Francogallos vectigalium magister, (*Intendant* *) qui consiliarios nobiles, magistratus, et praecipuos civium, tres et nonaginta omnes, ut horrendam iis pecuniae summam extorqueret, eidem conclavi iussit includi, ubi per tres dies, duasque noctes sine cibo, potu, ac somno, idque, propter loci angustiam, stantes, maximam partem transigere cogebantur. Cui immanitati, inter Christianos certe homines nondum audita, hic tertio die veluti cumulus accedebat, ut excubitores illorum quenquam, ventris leuandi causa, vetarentur emittere. Quin panis adeo et aqua negabantur esurientibus; quae alimenta quum Gunderodius et Hugo, consilarii, cum aliis quibusdam primoribus petere a tyrannis

*) Hic est, qui in tumultu Parisiensi, per plebis furorem, eo ipso anno, quo haec scripsimus, excitato, miserrima caede periit. *Nota Interpr.*

nis ausi essent; quidam eorum, Lafonius, (*La Sone*) haec iis rescripsit: "*Equidem, quam a me exeundi veniam petiistis, in hanc vesperam vobis concedam; idem panis et aquae copiam factururus; sed posthaec parem liberalitatem a me nolo expectetis.*"

LIBER IV. ANNVS 1759.

CAP. I. Iam summa vi omnibus, qui bello impliciti erant, expeditionem nouam parantibus, Fridericus ita cum exercitu primario se statuit aduersus hostes defendere, vt, si qua se iis terrorem incutiendi occasio sponte obtulisset, eam neutiquam sperneret. Ipsa adhuc hyeme insigne animi praesentiae specimen dederat. Sulcouius (*Sulkowsky*) Poloniae princeps, et si rempublicam suam, sciebat, neutrarum in hoc bello esse partium, tamen immiscere se bello delectu militum habendo, et horreis, in vsus Russorum instruendis, fuerat ausus. Monenti, ne haec faceret, Borussiae regi, non modo minacibus verbis respondebat, nunc ad libertatem suam, nunc ad Magnatis dignitatem prouocando, verum etiam tanto studiosius pergebat operam Russis dare. Sedem habebat is Risenam (*Riesen*) Poloniae oppidum, satis magno a Silesiae finibus interuallo seiunctam, instructos habebat milites cum tormentis, ac praeterea vel sola reipublicae suae maiestate satis se tutum fore arbitrabatur. At nomen Borussicum, quod potentissimi iam orbis terrarum reges ac principes reuerentur, non licebat scilicet a tantillo mancipiorum regulo impune violari. Itaque Fridericus haud diu

cunctatus, Wobersnovium, belli ducem, cum delecta manu in Poloniam mittit, quae, occupata sine sanguine vllò Rifena, capto principe ipso, exarmatis eius militibus, denique horreis, quae ad vsus Russorum instructa fuerant, euerfis, tormenta omnia, equos, currus, et belli instrumenta asportavit. Sic in Silesiam translatis omnibus, milites Sulcouii, ingestis verberibus, militare apud Borussos coacti; ipse autem princeps Glogaviam ductus, ibi ad belli totius finem in custodia mansit. Haec fors erat hominis superbi, qui vicorum aliquot possessione, et egenorum agrestium dominatu elatus, potentissimorum regum ac principum societatem sibi arrogando, bellis eorum se immiscebat. Alius quidam eiusdem furfuris, ephemeridum Erlangensium scriptor, principis sui favore fretus, per scidas adeo suas bellum Borussis illaturus, scilicet, haud parca manu conuicia aduersus hos iis insperferat. Sed hunc quidem hostem castigandum ex Borufficis ordinum ductoribus quidam suscepit. Nam eius tergum quum certo verberum numero probe depectendum curasset, ipsum etiam scripto, *se tot plagas accepisse*, testari coëgit.

2. Caeterum vix vlla hyeme plura Boruffi strenue gesserant. Capta ab iis Erfordia, horrea multa hostium euerfa, Austriacae quaedam copiae fugatae. Henricus, princeps, asperrima anni tempestate, per altissimos montes, et vias maxime inuias Bohemiam ingressus, expugnatis faucibus, hostium copias dissipabat. Huelsenius, Reinhardo, Austriacorum belli duce, profligato, captis duobus millibus, horrea multa exinaniuit, in quibus farinae orcarum triginta quinque millia, auenae modiorum centum triginta septem, foeni demensorum octoginta sex, panum denique septuaginta quatuor

quatuor millia fuerant reposita; unde quinquaginta millium exercitus per quinque menses cibum, quinque autem et viginti equorum millia in integrum mensem pabulum commode habuissent. Immanis haec copia omnia euerfa, pons, recens factus, deiectus atque naues centum quinquaginta in Albi flumine combustae. Granarium Saciense, ne in Borufforum potestatem veniret, Austriaci ipsi incenderant. Etiam aduersus principum Germanicorum copias expeditiones e Saxonia susceptae, Henrico in Franconiam progresso, qui varia agmina, vltterius progressura, emittebat. Haec vndique eiiciebant istius exercitus cateruas, vndecunque collectas confusissime, quarum militaris conditio, disciplina, resque gestae, parum memorabiles, cum reliquis Germaniae exercitibus longe maioribus comparatae, qui hoc tam insigni ad hominum memoriam bello, omnium in se oculos conuerterant, mira diuersitate elucebant. Earum fuga maximo cum damno coniuncta, ita, vt centeni plerumque caperentur. Apud Caeli Coronam (*Himmelcron*) duo millia et quingenti cum ipso duce, Ridefelio, capti, et Bambergae, Herbioli, aliisque imperii vrbibus, ingentes pecuniae exactae.

3. Alia Borufforum manus, terras Megapolitanas ingressa, Suerinio occupato, exactis ibi magnis pecuniis, iuuentutem ex vrbibus et agris compulsam ad militiam fubeundam coegit. Sic luendum erat miseris ciuibus, quidquid praeposteris princeps de republica consiliis peccauerat, qui, odio Borufforum regis impulsus, nec, quid inde consecuturum esset, fatis perpendens, Ratisbonensium comitorum aduersus hunc suffragiis suum adiecerat, facto participem se eius belli demonstraturus, de cuius euentu tam potentibus fociis vix videretur dubitandum.

Igitur,

Igitur, qui, adhaerendo potentioribus, magna se com-
moda percepturum somniarat, terras suas, per se iam
fatis steriles, etiam ab hoste vastatas videbat. Nec us-
quam fere tanta, quanta hic, hostes Borussi acerbitate
faeuierunt. Hinc illi euertere, quidquid loco moueri
non posset, ipsis adeo miserorum incolarum puluinis
discissis plumas, in aërem dispersas, ventis tradere. Vna
Carolinae (*Charlotte*) principis Megapolitano-Streli-
tensis ad Fridericum epistola, quae hanc faeuitiam, in
vicinia ipsius commissam, copiose exponeret, non
modo finem miseris attulit, verum etiam occasionem
dedit, vt deinde, quae eam scripserat, Britanniae regina
euaderet.

4. Nec Suecis illa hyeme requies a Borussis con-
cessa. Damgardia, Volgastia, aliaeque vrbes quas te-
nebant, iis creptae; Anclamum ac Demminum, per
vim vtraque expugnatae, captis vtroque duobus mil-
libus ac septingentis, praeter tormenta, cibaria et reli-
quum apparatus bellicum. Quarum rerum iactura Sue-
cis erat eo acerbior, quod partim a patria longe aberant,
partim domi magna impedimenta habebant, quo minus
rebus vel maxime ad bellum necessariis instruerentur.

5. Iamque Germania omnis, qua Austrum spectat,
urbibus instructa parum munitis, ac spoliata militibus,
post haec prospera per Franconiam initia, Borussis pa-
tebat. Et postquam Henrico, principi, primus Ducis
Brunsvicensis filius duodecim foederatorum millia con-
iunxerat, fugientibus vbique exercitus Germanici co-
piis, Dux Bipontinus, qui has ducebat, Brolii, (*Bro-
glio*) Ducis, auxilium enixissime implorabat. Sed quam-
uis prosperrima Borussis fore videbatur illa expeditio,
tamen, quum in Saxoniam Austriaci rursus irrupissent,

vt

vt hanc tueretur Henricus, omiffa illa Germanici exercitus perfecutione, cum victricis manu regressus est.

6. Haec dum geruntur, Ruffi, collecto in Polonia exercitu, nouam in terras Borufficas irruptionem minabantur. Quorum progressus, si vel plane impedire non licuiffet, remoraturum certe Dohnauium, belli ducem, cum fatis numerosa manu Fridericus emisit. Ibi tum, quanto vis iure esset potentior, perspicue cognitum fuit. Nam Dohnauius, minime curans, quod in neutrarum partium regno verfaretur, commeatum incolis Poloniae, pretio non soluto, imperabat. Neque vero alimenta tantum ibi per vim exacta, sed et pluri Polonorum, ad exercitum Borufforum supplendum, chiliadibus inferti, edito publice scripto, quo huius rei necessitas excusaretur.

7. Tandem victus penuria coacti Boruffi Viadrum repetebant; nec minus Ruffi, quorum illi granaria exufferant, angustiis rei frumentariae pressi, idem flumen petebant, vtrisque ad Zullichauiam in finibus Brandenburgicis sitam, concurrentibus. Successerat Fermorio, impetrata summo apud exercitum imperio abeundi venia, Solticouius, ita, vt ille, in exercitu manens, huius imperio subesset. Boruffi quoque alium ducem acceperant. Rex enim offensus Dohnaui ad inuadendos commode Ruffos tarditate, abdicatum huic imperium Vedelio, belli duci, tradiderat. Qui quum, a. d. XI. Cal. Aug. ad exercitum venisset, etsi nec, copiarum suarum vires, nec hostem, nec denique locorum situm satis nossset, tamen, nisi aliter Auftriacorum cum Ruffis coniunctionem possset impedire, sine mora hos, a rege iussus fuerat, praelio inuadere. Nam illo ipso iungendarum copiarum consilio Laudonius cum
triginta

triginta militum millibus in viam se cum maxime dederat. Ad quem quum appropinquare Russi festinarent, iamque a. d. X. Cal. Aug. postridie quam Vedelius aduenerat, cursum continuarent, non diutius sane differre huic pugnam licebat. Quae, quoniam valde impares numero inter se erant ambo exercitus, infaustum Vedelio exitum necessario habebat; nam is, amissis caesorum, vulneratorum et captorum sex millibus, loco cedere coactus est.

8. Nihil itaque amplius obstabat, quo minus foederati se duo exercitus coniungerent. Laudonius quidem, diuisis suis, relictoque cum duodecim millibus Haddiccio, cum caeteris duodeuiginti, qui equitatu maximam partem constabant, a. d. III. Non. Aug. ad exercitum Russorum venit. Nec dissimulandum est, prudentissime excogitatum fuisse, quidquid hi duumviri ad consequendum hunc finem, ac tollenda impedimenta, vel mouendo, vel agendo, tum susceperint. Ipse adeo Germaniae principum exercitus, rebus gestis per totum hoc bellum alioqui parum inclytus, non plane nihil ad eum attingendum contulit. Nam Saxoniae fines ingressus, Finkium, belli ducem, qui manu Borussica Haddiccium adhuc obseruarat, hac cura omissa, coëgit, Lipsiam ac Torgauiam defendere. Itaque omne iam foederati exercitus robur, hoc est supra octoginta hominum millia, vterius progressa, ad Viadri ripas, haud procul Francofordia, castra muniebant. Quod flumen quo minus transirent, vt quantum posset, impediret, omnem operam Vedelius adhibuit.

9. At Rex, contentus adhuc, Silesiam ab hostibus defendisse, vt pugnandi opportunitates expectaret, diu

diu ad Landeshutiam in castris haeserat. Nec minus Daunius, e regione cum exercitu Austriacorum primario constitutus, commodas siue progrediendi, siue pugnandi occasiones praestolabatur. Quam spem vt falleret Fridericus, ad omnia intentus hostis, et in Bohemiam Austriacos repelleret, nihil non ad subtrahendos iis commeatus tentabat. Sed vtriusque consilia Russorum progressibus mutabantur. Nam Daunius his studebat fieri propior, vt expeditius agere possent, rex contra vtriusque exercitus consilia interuertere.

10. Tandem infelix illud, quod modo diximus, ad Zullichauiam praelium regem, vt ipse in terras Brandenburgicas cum exercitu proficisceretur, impulit. Ad quem augendum magna copiarum, quas secum habuerat, parte missa, Henricus, Silesiam ipse petiit, exercitus ibi relictus, absente fratre, imperium susceperat. Quin etiam Finkiana manus, relicta Saxonia, ad Viadrum proficisci iussa. Faustum sane Friderici iter fuerat, quidquid copiarum venire ad ipsum fuerat iussum, faluum et incolume venerat; ipse ad Gubenam in Hadlicii manum incurrens, expugnatis aliquot tormentis, et quingentis curribus, qui cibaria ducebant, duo milium millia ceperat, denique nullo impediante, Vedeliano exercitui sese iunxerat.

11. Sine mora igitur praelio statuit decernere. Habebat secum quadraginta, hostes autem supra septuaginta millia. Hi castra munierant in collibus, inter Francofordiam et Cunnersdorfium sitis, quae ingenti tormentorum multitudine defendebantur. Praeterea dextram alam Viadrus, sinistram vepreta et paludes, frontem denique valles profundae tegebant. Horum omnium nulla ratione habita, rex pridie Id. Aug. eos

adoriri



adoriri decreuerat. Ordinabat aciem in sylua, vnde fui, partito agmine, sinistram Rufforum alam, in iis, quos Molarum montes (*die Mühlberge*) accolae vocant, constitutam, summa vehementia inuaderent. Agebat rex maxime hoc, vt eodem tempore hostes a fronte, a latere, et a tergo simul peterentur. Sed infelici casu accidit, vt loci ac regionis naturam non satis nosset. Itaque nunc ingentes piscinae cursum praeter opinionem morari; nunc per ambages milites circumducendi esse, quae eos defatigarent, ac tempus inaeestimabile absumerent; nunc, quoniam tormenta in sylua conuerti non possent, equi abiungendi, conuersis autem demum, rursus iungendi esse. Tandem e sylua Borussi emergere, et Rufforum munimentis appropinquare, quae ipsi tormentis, e triplici simul aggere explosis, infestabant. His alia centum Russi, in alam sinistram collecta, opponerant. Iam rex aggeres hostium tormentarios ipsos oppugnari iubet. Cristati, quibus mandatum hoc erat, per stratas arbores eluctati, vallem interiacentem emensi, in colles tandem, munimentis Rufforum proximos, peruenierant, vnde omnibus tormentis petebantur. Neque tamen illi animos remittere, sed duplicato impetu, praefixis verutis, in aggeres Rufforum emergere. Iamque non amplius resistere hostes, sed omnibus munimentis per vim expelli; tota Rufforum ala sinistra salutem fuga quaerere; tormenta omnia relinquere.

12. Quum circa meridiem pugnandi factum esset initium, hora sexta vespertina Borussi omnes iam huius alae aggeres tormentarios, in his tormenta centum amplius, et aliquot hostium millia ceperant. Neque minus haec Borussis certa videbatur victoria, quam Collinensis atque Hochkirchensis ante fuerat hostibus;



ac iam laeti ex ipso pugnae loco Berolinum et in Silesiam mittebantur nuncii, quum ecce! subito fortuna belli, praeter opinionem conuertitur.

13. Incredibili virtute pedites pugnaverant; sed, quum equitatus esset in ala altera, nec tormenta celementer pertrahi possent, non licebat victoriam ex voto persequi. Quod quidem erat eo iniquius, quod eadem loci natura, quantumuis tormentorum vsui fauens, perditum tamen cursui aduersabatur. Tandem aderant tormenta quaedam in collibus, sed pauciora, quam, ut perfici coeptum opus ingens posset. Interim rex alteram quoque alam aduersus Russos ducit, nec non suos Finkius. Sed rursus hic mora in progrediendo multiplex, coacto nunc milite inter binas bene longas piscinas incedere, nunc ponticulos angustos transgredi. Hanc, Russi, colligendi sui occasionem naeti, tormentis eos vehementissime infestabant. Praeterea Laudonius, otiosus hucusque cum suis pugnae spectator, iam celementer eos in hostem mouebat. Rex contra equitatum iubet in praelium prodire, qui etiam, Seydlitio duce, inter piscinas, tenuatis ordinibus, progressus inter medios tormentorum Russicorum globos, iusta acie in hostes irrumpit; sed horrenda grandine tormentaria, prostratis integris virorum et equorum ordinibus, victa equitum virtus tandem succubuit, ut, perturbato ordine, terga verterent.

14. Iam quidem non adeo victi erant Borussi, ut non multis modis adhuc Russis essent superiores. Sed hi, quanquam, mire perturbatis ordinibus, paene centuplis ordinibus conferti stabant, tamen quinquaginta tormentorum praesidio tuti erant, e quibus noua secti plumbi grando erat cum maxime ereptura. Bo-

russi contra, quindecim horarum itinere, caedendi velut labore, denique solis aestiui calore ita erant defatigati, vt vix respirare possent. Parta erat ab ipsis victoria, neque dubium videbatur, quin Russi, tot amissis suorum millibus, proxima nocte essent regressuri. Quin nisi post interiora munimenta sua tutiores se, quam per fugam media et clara luce susceptam credidissent, profecto omnem istius diei gloriam victori lubentes erant cessuri. Sed Fridericus, nihil se egisse ratus, scilicet, quam diu agendum quidquam restaret, (vt tum palam prae se ferebat) exercitum Russorum, quod ad iterandas deuastationes identidem recurreret, non tam vincendum sibi, quam plane delendum esse statuerat. Cui quidem regis argumento, qui tum aderant belli duces, inprimis Seydlitius, cuius de fortitudine nunquam ille dubitabat, quum praeter exhaustas tanto praelio vires, nihil possent reponere; huius oratio visa est momentum facere, ac iam rex animo vacillabat, nisi de praecipuis ducibus quidam, accedens cum maxime, interrogatus a rege: *Quid tu censeres? * * e?* quod aulae more erat imbutus, regis sententiam amplexus esset. Statim itaque praelium redintegrare iussi.

15. Pendebat victoriae veluti apex ab expugnatione Montis Acuti, quam vocant, (*Spitzberg*) ante quem vallis, a Vaccis appellata (*Kubgrund*), deprimebatur. Haec, longa passus quadringentos, lata quinquaginta aut sexaginta, alta denique decem vel quindecim, etiam vndique praerupta habens montis obiecti latera, selecto Laudoniani exercitus robore tenebatur. Huc praecipites delati quum essent Borussi, vt in marginem praeruptam oppositam eniterentur, incassum vires profun-

fundebant. Quibuscunque enim eniti per summam vim contigerat, omnes vel peribant, vel statim praecipites deiiciebantur.

16. Tandem praevaluit humana imbecillitas, nec virium absentiam animi praesentia resarcire potuit. Iterum iterumque Mons acutus inuadi, nunquam expugnari; Russorum atque Austriacorum tormenta, globos plumbeos, imbris mortiferi more, in Borussos deiicere, hi omnes prosterni; etiam Finkius, qui alios colles cum suis erat occupaturus, nequidquam vires omnes intendere; Fridericus ipse praesentissimo se periculo obiiicere, ut vestis adeo glandibus plumbeis traiceretur, ac duo equi sub ipso prosternerentur. Nec sane effugisset, nisi de adiutoribus (*Adiutant*) quidam suum ei dedisset. Nihilo fecius omnes hostium de monte deiiciendorum conatus plane erant irriti. Iam equitatus Borussorum tentabat in colles eniti; neque vero hic artificia tactica Seydlitii vlla quidquam proderant, quum ille ipse equitatus, qui, eo duce, alias non modo equitatum hostium repellebat, verum etiam pedites facile in fugam solebat vertere, impari Russorum per tormenta certamini succumberet. Quin ipse Seydlitius tum vulneratus est. Parem fortunam experti Eugenius, Dux Virtembergensis, iterum inuadere hostes ausus; Putcammerus, belli dux, cum velitibus, albo vestitu indutis, hostes adortus, ibique glande plumbea traiectus; Finkius item et Hülsenius, cum aliis praecipuis Borussorum ducibus vulnerati. Iamque omnibus peditum non minus, quam equitum mire turbatis ordinibus, ecce! Laudonius, recentes copias, post alam dextram adhuc occultatas, illo ipso momento in praelium adducens, fessos plane Borussos a latere ac tergo simul

adoritur. Et sic, qui tam saepe hoc bello in opportunissimum temporis cuiusque articulum inciderat, etiam hic equites, iusto ordine adductos, in disturbatas Borussorum cateruas impetum facere iubet. Quo facto, statim exitus praelii dubius esse desit.

17. Nunquam profecto potentiorum fortunae bellicae velut ictum, quam infausto isto die Friderici animus senserat; quem illa paucis horis de summo victoriae, minime dubiae, vertice, in horrendae cladis veluti voraginem praecipitarat. Ipse quidem tentare omnia, ut fugientem peditem sisteret; sed tamen, precando et obsecrando (quo regia lingua alias tam multa efficiebat) nihil plane iam efficere. Dicitur quidem, illo ipso tempore, desperatis rebus cunctis, mortem alta sibi voce optasse. Obuersabantur enim alacerrimo viri ingenio, primis momentis, formidolosissima quaeque cladem hanc secutura, ut ex eo ipso loco, unde, paucis ante horis, victoriae nuncios emiserat, iam de tuenda regia, et quaerenda per fugam celerrimam salute, mandata Berolinum mittere cogeretur. Iubebatur regia domus secedere, tabularia alio transferri, ac ditiores priuati, suis quisque fortunis, quantum possent, consulere. Rex ipse, ratus, hostem iam ante portas regiae adesse, videre sibi videbatur hanc direptam et euersam funditus; ita, ut impediri a se haec nullo modo possent. Adeo enim dispersi tum erant eius milites, ut postridie praelii, vix quinque millia secum haberet; tormentis, quae ille ceperat, receptis omnibus, centum quoque amplius Borussica hostes ceperant. Vunschius, belli dux, qui paruae Borussorum manui, in altera Viadri ripa praecerat, paulo ante finem pugnae Francofordiam aggressus, ibi praesidarios Russorum ceperat.

Sed,

Sed, quum, accepta clade, haec commoda euanuissent, ne summo se ipse periculo exponeret, relinquere urbem coactus est. Regem nox ingruens maxime texit; cuius praesidio, quum receptui cani iussisset, colles aliquot nactus, occupavit, vnde eum hostes deturbare non sunt ausi.

18. Verissima quidem pugna haec laniena fuisse censenda est, qua nulla per totum bellum plus sanguinis exhauserat. Borufforum caesa erant octo, vulnerata supra duodecim millia, e quibus tamen capti paucissimi. Vulnerati etiam duces, ordinumque ductores honoratiores fere omnes. Nec minus Ruffi caesorum ac vulneratorum numerabant sedecim millia, fatente ipso Solticouio, qui litteris ad Augustam suam, de praelio datis, iacturam his verbis commemorabat: "*Hanc tantam fuisse, minime, Augusta, miraberis, quae scias, quanti victoriae de Borufforum rege constare soleant.*" Idem dux, "*si talem victoriam iterum reportet, solum se, baculum manu gestantem, dicebat, Petropolin nunciandae eius causa, coactum iri proficisci.*"

19. Postridie praelii Fridericus, traiecto Viadro, collectis, qui effugerant, Vunschii manu sibi adiuncta, Kleistium, belli ducem, cum quinque millibus e Pomerania reuocauit, ac tormenta ex armamentariis suis aduehi quam celerrime iussit. Ruffi, quantumuis victum, adhuc horrentes, castra muniebant. At ille, firmatis graui oratione rursus militum animis, paucarum hebdomadam spatio et regiae prospexerat, et exercitum, necessariis omnibus instructum ita auxerat, vt non modo Marchiam tutari, sed et Vunschium cum suis, ab exercitu seiunctum in Saxoniam posset emittere.

20. Inter eos, qui in praelio Cunnersdorffensi, sinistra belli fortuna ceciderant, fuit etiam Kleiftius, summus excubiarum praefectus (*Maior*), homo Germanus, illustri genere natus, idem vero magnitudine animi venerabilis, et carminibus immortalitatem consecutus, cuius virtutes etsi rex ignoravit, aequales remissius admirantur, posterius tamen profecto summis olim laudibus ornabunt. Scripserat is in aliquo olim carmine:

Fortassis et mihi licebit (auguror)

Aliquando pro patria mori.

Quod eius augurium, magno Germanicarum litterarum malo, funesto illo die euentum habuit. Ducebat cohortem aduersus hostes, ac tres eorum aggeres tormentarios expugnabat. Dextrae manus ostibus, per glandem plumbeam comminutis, gladium sinistra arripens, cum suis, qui eum ut patrem amabant, quartum aggerem petit. Hic eum ictus tormentarius prosternit. Elatus e tumultu pugnae, et fossae impositus, fato suo ei que crudelissimo relinquitur. Cofacci, specie externa hominibus, caeteris omnibus ferarum Lybiae similes, quibus innata est praedandi, caedendi, atque incendendi cupiditas, alienus autem sensus misericordiae, natantem in suo sanguine Kleiftium adoriuntur, et omnia, ne indusio quidem excepto, quod sanguine madebat, e corpore deripiunt, ut iam miles fortissimus, idemque vir sapiens, ac poeta immortalis, VERIS auctor, nudus, tanquam vermiculus, in palude iaceret, et pannos aliquot sibi exoptaret. Huius conditionem miserati quidam Rufforum velites, forte praeteruecti, pallium ei cum panis frusto, nec non octo diobolorum numo proficiunt. Sed mox Cofacci venientes his ipsis eum spoliant. Nudus itaque, destitutus, nondum circumligatis vulneribus, per totam noctem in suo ipse sanguine natantem

tare cogitur. Satis quidem grauia habebat vulnera, nondum tamen mortifera. Sed noctis illius aerumnae, cum aquis paluftribus, in vulnera penetrantibus, in caufa erant, vt aliquot post praelium diebus, Francofordiae captius moreretur. Corpus Rufsi honeftiffime extulerunt, ita, vt multi ex eorum ductoribus, Academiae Profefforibus intermifti, funus comitarentur. Cumque gladius capulo forte, honoris fignum, non effet impositus, quidam Ruforum ductor fuum impofuit, vt pompa ad fepulchrum duci poffet, quod Germanides Mufae flerent, Bardi canerent, molles denique puellae rofis confpergerent.

21. Iam etfi bis Rufsi intra tres hebdomades regem vicerant, tamen non tam hae hoftium victoriae ipfae deteriore[m] eius conditionem reddiderant, quam eius a Saxoniae et Silefiae finibus absentia, ex qua hoftes plurimum profecerant. Ab vtraque igitur nunc exclufo, admodum verendum erat, ne maiores illi Ruforum et Auftriacorum exercitus (nam hi quidem iam in Lufatiam vsque procefferant) coniungerentur. Sed quanquam ea de re Daunius ac Solticouius inuicem Gubenae erant collocuti, nihil tamen illo congressu effectum. Nam Rufsi in castris ad Furfte[n]ualdam otiofi fedentes, nihil tum quidem, nifi catarrhactam canalis Friderici Guilielmi, quo maximi ingenii monumento immortalis ille princeps Spreecam cum Viadro iunxerat, euerterunt.

22. Eodem tempore Ferdinandus VI. Hispaniae rex, fupremum diem obierat, cui ibi Carolus, Siciliae rex, ficuti huic Ferdinandus IV, octo annorum filius, fucceffit. Iam quum Auftriaca domus ius haberet in regna Siciliae et Neapoleos, eius persequendi opportu-

nissima tum se offerebat occasio. Rex admodum puer, administri parum fideles, consiliarii parum periti, fiscus exhaustus, exercitus parum numerosus, nec disciplina subactus. Ne bellica quidem expeditione, sed nuda tantum occupatione opus videbatur. Omnia denique hanc ipsam pacatam ac diuturnam praesagiebant. Hispani nouum regem, qualis esset, nondum nouerant, nec tali bello erant parati; Francogalli autem bello debilitati, exercitum in Italiam mittere plane non poterant. Quarum rerum omnium etsi in arcano Mariae Theresiae consilio facta est mentio, tamen, quum in aula Viennensi priuatorum studiis tum posthaberetur vera ciuilium rerum prudentia, certissimae duorum regnorum tantorum occupationi, quibus non, vt olim, propter locorum interualla facile carebat imperium Austriacum, sed per quae nunc, propter coniunctionem cum aliis Italiae prouinciis, Mariae Theresiae eiusque posteris Italiae principatus in multa saecula contigisset, huic igitur expugnationi tum anteposita est incertissima Silesiae recuperatio.

23. Interim exercitu Germanico cum Austriacis Saxoniam ingresso, Lipsia item, Torgauia, ac Vitemberga occupatis, nemo non has terras plane liberatas, Berolinum expugnatum, Magdeburgum denique obsesum, visurum se esse arbitrabatur. Sed nihil horum omnium factum; et rex, fortuna sua fretus, et simul in experta saepius ducum apud hostes cunctatione, quoties victoria aliqua persequenda esset, spes suas reponens, iam proximo mane post praelium hac fiducia animum erigebat. Paucis diebus ante, de victoria Mindensi per emissum a Ferdinando, Duce, vnum ex ordinum ductoribus, factus erat certior. Hunc, quoniam
parem

parem Duci nuncium remissurum se sperabat, expectare aliquandiu iusserat. Cui, postridie pugnae Cunnersdorfiensis, se in eius conspectum sistenti: "*Acerbum mihi quidem, inquit, accidit, quod pro tam laeto nuncio, alium aequè laetum non licet reddere; tu tamen si saluus ad Ferdinandum ipse redieris, nec Daunium iam Berolini et Contadium Magdeburgi offenderis, sic satis tolerabilem iacturam nostram fuisse, Ferdinando nomine meo confirmabis.*"

24. Quamuis igitur nihil paene commodi e victoria ista Russi perceperant, tamen inde tot tantarumque cladum series quaedam regi exstitit, quot quantasque nullo ante bello is fuerat expertus. Proxima fuit Dresdae per Austriacos expugnatio. Quam in regionem hi quum semper fuissent intenti, iam, absente rege, cum exercitu Germanico coniuncti, iterum eius obsidionem tentabant, postquam tormenta ex vrbe Praegenfi adducenda curassent. Schmettauus, ad defendendam urbem paratus, relicta Noua Vrbe, quam vocant, quae a Dresda Albi flumine seiungitur, solam hanc sibi defendendam statuit. Noua igitur vrbe ab Austriacis occupata, quum Guasco, eorum dux, e duodeuiginti tormentorum aggeribus urbem se infestaturum minatus esset, Schmettauus, *ex aliis centum tormentis ictus se redditurum*, respondit. Subito de praelio Cunnersdorfiensi fama percrebescit. Cuius primo impetu, ortaque hinc trepidatione vsi hostes, quum Schmettauum docuissent, quanto in discrimine ipse cum praesidiariis non adeo multis versaretur, et quam difficulter suppetiae ipsi ferri possent, oblatis praeterea conditionibus honestissimis; hic, qui semper constantiam, diligentiam, ac virtutem, praefecto dignam, ostendisset, ne nunc qui-

dem imparatum se finebat opprimi, sed minas quaslibet, ab hostibus quotidie, etiam subinde absurdius, iactas, contemnebat. Sic quum ei Dux Bipontinus minatus esset, si Dresdae suburbia a Boruffis fuissent incensa, praesidiarios ad vnum omnes caesum, Berolinum et Halam direptum et incensum, omnes denique terras Borufficas vastatum iri, loco responsi, incensa statim suburbia oculis eius obiiciebat. Hinc iam alii ex aliis internuncii, ipsique adeo Maquirius et Guasco, belli duces, cura Schmettauio collocuti. Qui quamuis iniquissimo erat loco constitutus, tamen defensionem expectare ab se longe acerrimam hostes iubebat. Sed vna ecce missa a Friderico epistola omnia in deterius mutauit.

25. Scripserat enim is Schmettauio statim post praelium infaustum, vt, quum difficillime liberari Dresdam putaret ipse posse, is, vrgente necessitate, aerario prae caeteris prospiceret. Itaque, nimis cito abiecta spe, in vnum illud incumberebat, vt immanem pecuniae summam, quae Dresdae erat, regi seruaret. Nam in hoc Saxoniae veluti centrum, reditus omnes, vectigalia, pecuniae per vim exactae, aerarium bellicum, et alia eiusmodi, supra quinquagies centena millia imperialium, collata fuerant. Vnde huius metalli, quo deficiente bella maxima finiri, et fortissimos adeo exercitus dissolui necesse est, tuendi necessitas Schmettauio tum momenti loco fuit. Necdum enim, Boruffica auxilia aduentare, rescierat. At oppugnatores, de eorum aduentu et in Saxonia progressibus plusquam satis edocti, ac tantum non seruatam urbem rati, postpositis iam minis omnibus, quascunque Schmettauus conditiones postulabat, iis lubentissime annuebant. Eo ipso
itaque

itaque tempore, quo hostes infestandae per tormenta urbis initium erant facturi, liberum ille cum suis, cum impedimentis, cum curribus denique omnibus, pecunia onustus, abitum pactus est, ita, vt frumenti copiam, in horrea congestam, apparatus bellicum, et commeatum relinqueret. Reperta, eo dimisso, ibi sunt frumenti, hordei, auenae modiorum triginta millia, farinae duodecies centena septuaginta millia pondo (12,700 *Centner*) et aliae eiusmodi copiae.

26. Vix autem scripta, ac per Ducem Bipontinum signata erat pacti formula, etiam portarum vna occupata ab expugnatoribus, quum ecce! magnis itineribus confectis, altero tantum a Dresda milliaro, Vunfchius cum suis abest, qui, consumtis viribus cunctis, illa ipsa hora longius progredi non potuerant. Statim itaque, explosis tormentis, aduentu significato, quoniam, de vrbe dedita nondum quidquam norat, affultum in Nouam Urbem, quam vocant, tentare decreuerat. Quo appropinquante praesidiariorum Dresdensium animi, paulo ante deiectionis, quum denuo ad spem seruandae urbis erigerentur; multi e ductoribus, rescindendum esse pactum, et paucos illos hostium, qui portam vnam iam tenerent, inde eiiciendos, censebant. Quod etsi facillimum factu videbatur, Schmettauus tamen, vnice de pecuniis seruandis sollicitus, a consilii huius audacia erat alienissimus. Tum Hausmannus, armorum praefectus, (*Platzmaior*) hoc videns, officii sui esse ratus, etiam inuito Schmettauius arma resumere, conscenso equo, excubitores statim se sequi iubet. At Sidovius, centurio, horum ductor, eos vetat. Hunc ille, ignauum increpans, sclopeti ictu, quanquam frustra, petit. Eum ulturi aliquot gregarii,

gregarii, et ipsi tela explodunt, fortemque Hausmannum glande plumbea prosternunt. Hoc tumultu omnis Borufforum, quicumque bene animati erant, spes concidit: Vunfchius abijt; Dresda omnis ab Auftriacis occupatur; pactum, modo initum, ab omni fere parte violatur; praefidiarii, quibus liber antea discessus fuerat promissus, indignissimis modis tractantur. Certabant veluti cum gregariis Auftriaci ordinum ductores, quin duces ipsi, vtri agerent indignius. Protracti per vim ex ordinibus milites Boruffici, ad militandum apud Auftriacos cogi; ductores exquisitissima verborum contumelia affici, verutis atque vmbonibus sclopetorum vndique peti, verberari, vulnerari, denique occidi. Ipsi Auftriacorum ductores, non magis suae dignitatis, quam pudoris et honestatis immemores, non tam ministri tantae turpitudinis, quam instigatores esse, acclamando suis: *Occidite canes! Glandibus bestias trahite!* Ne summi quidem duces, Maquirius, et Guasco, ab iniuriis abstinere, per vim Boruffis eripiendo, quae ipsorum mansura esse tela, instrumenta belli, et rates iunctas, promiserant, recusando currus et naues ad transportandum, quas sponponderant, et ad eorum querimonias minis respondendo. Tandem post diurnam cunctationem Schmettauio contigit, vt praefidiarios suos cum pecunia, veluti praedam, ex hostium faucibus eriperet.

27. Interim cum exercitu maiori Henricus, princeps, e Silesia in Saxoniam redux, confecto quam celerrime itinere, Vehlam, Auftriacorum belli ducem, ad Hoyersverdam subito adortus, cum mille octingentis fuorum, caesis sexcentis viuum ceperat. Russi autem aequae ac Daunius in Lusatia castra habebant, quibus

bus vtrisque alimenta deesse iam coeperant. Austriaci quum sibi ipsis aegerrime de his prospexissent, Russis cibariorum loco pecuniam offerebant. Quibus quum Solticovius respondisset, *argento suos vesci minime solere*; statim per Silesiam in Poloniam cum exercitu discessit. Quem comitatus Laudonius, omnem operam dabat, vt ad Glogauiam obsidendam impelleret. Sed statim turbatum est consilium, quum vtriusque exercitus praeter opinionem prope Beuthenam ad Viadrum castra Borussica, eaque regis, obsidionem Glogauia arcentis, conspexissent. Hunc igitur minime ausi inuadere, traiecto Viadro, per huius fluuii ripas profecti, Vratislauiam petaturi maxime videbantur. Sed Borussos vbique dispositos et vias oclusas reperiebant. Vitimam Silesiae vrbem attingebant Herrnstadium, quae, natura loci munita, caeterum patens, quum dedere se statim noluisset, ignitis globulis incensa conflagrauit. Quo facto illi Poloniam intrarunt.

28. Ita exeunte Octobri Silesia non minus quam Marchia, Russis et Austriacis liberatae, quorum illi, qui sine vastatione bellum gerere vix possunt, incensis duodecim vicis discessum suum insignem fecerant. In his etiam Coselii, Comitum, praedia, ad Viadrum sita, fuerant. Qui quum apud regem hac de crudelitate questus esset, hic ei respondit: "*Cum barbaris nobis res est, exsequias humanitati ipsi parantibus. Vides, amice, me de remediis potius mali cogitare, quam de eo conqueri; quod idem amicos meos omnes facere iubeo.*" Atque omnino tum potentissimorum Friderici hostium ita in ipsum exacerbati erant animi, vt aetati nostrae infamiam adspargerent. Quidquid enim Austriaci pariter ac Russi, Marchiam ac Silesiam ingressi, faeuitiae

uitiae commiffissent, hoc vno fatis excufatum putabant, quod ab ipsis fuis principibus, vetiti effent, Borufficae ditionis ciuibus, praeter humum et aërem, quidquam aliud relinquere.*)

29. In Saxonia Vunfchius, receptis Vitemberga ac Torgauia, ad hanc urbem magnam Auftriacorum manum fugarat. Supererat Lipfia, quam exercitus Germanici copiae tenebant; fed quinto post pugnam Torgauienfem die, idem hanc quoque, capto praefidio, occupabat. Quo facto Henricus, princeps, non modo Vunfchii, fed etiam Finkii copias cum fuis coniunxit.

30. Hunc vt e Saxonia rurfus depelleret, Darius varia inibat confilia; quae quum Henrici vigilantia ac belli peritia omnia eluffet, ita, vt non tantum loco maneret, verum etiam Lipfiam cum Vitemberga tueretur; nouum, idque magnum dux Auftriacus confilium excogitarat, quo ducem Borufficum, vtraque illa vrbe interclufum, in fuis castris cinctum obfideret. Itaque exercitum, in plures partes diuiferat, quae hunc in finem, diuerfis viis mouerent, quarum numerosiffimae Dux Ahrembergenfis praeerat. Henricus, cui tale quid iam fuboluerat, quum, plura huc pertinentia e litteris, apud captum Ahrembergii, Ducis, optionem (*Adiutant*) repertis, cognouiffet, ftatim Finkium, Vedelium, Vunfchium, belli duces, cum fua quemque manu, diuerfis itineribus emittit. Hi finguli hoftes quos offenderant, repellunt. Tandem Vunfchii copiae haud procul Dubena,

*) Huc refpicit publica profeflio, quam Kleiftius, apud Boruffos chiliarchus, Grabae in Bohemia, a. d. XV. Cal. Dec. MDCCLIX. in vulgus edidit.

bona, magnae Ahrembergici manui occurrunt, quae statim aciem instruit. Sed Platenius, belli dux, cum equitibus defultoriis ac velitibus, effusis habenis pedes Austriacorum, sclopeta explosuros cum maxime, adortus, deiicit, mille quadringentos capit, reliquos in fugam dispellit.

31. Rex, morbo infestatus, quum Glogauiam se contulisset, iam quoque Hülsenium, belli ducem, cum maxima exercitus parte in Saxoniam remisit, vbi ita iam Borussi rursus praeualebant, vt Daunius, Dresdae tuendae causa munita illa ad Plauiam vicum castra sibi ingredienda esse statueret. Vna enim modo illa vrbs, ex tot aliis, per Saxoniam paulo ante occupatis, Austriacis adhuc supererat. Qua et ipsa vt illos exueret Fridericus, postquam, depulso morbo, e Silesia in Saxoniam cum copiis reuersus, Henrico fratri se iunxerat, omnem operam dabat. Quum in eo essent omnia, vt exercitus Daunianus in Bohemiam redire cogeretur; rex quod sua sponte hic forsan erat factururus, huc fortius eum cupiens impellere, Finkium cum vndecim militum millibus in regiones montanas Maxenam versus, Kleistium vero cum alia manu, in Bohemiam emittit. Atque huius quidem expeditio prosperum satis euentum habebat; captis enim compluribus, praedam agebat, et, vt hostium in Silesia ac Marchia saeuitiam saeuitia compensaret, pecunias magnas exigebat.

32. At Finkius, etsi comteu Bohemico videbatur hostes posse intercludere, tamen in locum iniquissimum erat delatus, quod, tanto ab exercitu regis intervallo, facile cum sua manu ab exercitu Austriaco vniuerso posset circumueniri. Cui quum abeunti non nihil mali animus praesagiret, et ipse regi difficultatem negotii

negotii modeste demonstrasset; indignatus ei rex: *Scis, inquit, me cunctatores ferre non posse; apage igitur, et proficiscere!*

33. Paruit ille regi, et Maxenam profectus, transitum Dippoldisvaldiensem, ut via Fribergam sibi pateret, per Lindstadium, belli ducem, trium millium praesidio occupari iussit. Sed hoc rex improbens ei scripsit, fatius fore, vniuersam manum contractam habere, quod hostium impetus, si quis accidat, eo fortius sustineri possit. Praeterea paucas illas ad Dippoldisvaldam cohortes, quoniam hostes, si operae pretium velint facere, numerofo milite sint pugnaturi, facile ab his perdi posse. Itaque rursus ei paritum a Finkio, qui tamen simul, quibus iam locis hostes essent, et quam facile illis via ad ipsum aggrediendum pateret, rescripsit. Sequentes eius ad regem litterae ab Austriacis interceptae ad vnam omnes. Hoc fonte magna illa clades profecta, qua Fridericus toto illo, paene iusto, exercitu plane spoliatus est.

34. A. d. XI. Cal. Dec. infaustus ille dies, Borussiae nunquam obliuiscendus, illuxerat. Finkius infesto vndique agmine petitus. Ipse in vallibus, illi in collibus constituti, et multo numerosiores. Hinc Daunius cum triginta millibus; illinc Bipontinus Dux cum Germanico exercitu. Magna tamen virtute Borussiae resistere. Quum vnum tantum locum hostes tormentis peterent; Maxena quoque incensa. Et, quum magnam vehiculorum Borussiae vallo pyroboli Austriacorum tormentarii (*Haubitz - Grauden*) confusio- nem attulissent, haec mox etiam ad pedites vniuersos transfusa. Reditus omnis Borussiae interclusus. Postquam per integrum diem glandium ictus densati, et emboli

emboli (*Patronen*) consumti omnes; plumbum tandem et pyrius puluis defecere. Adhaec ab rege, tanti periculi ignaro, auxilii spes admodum exigua. Tamen ne sic quidem Finkio, qui tot aliis occasionibus peritum et animosum se duces praestitisset, animus defecerat, quin ferro viam vellet sibi per medios hostes facere, caeterosque duces, consilium hoc iis aperturus, congregaret. Sed quum fauces numerosissimis militum praesidijs munitae, vi perrumpi non possent, nihil quidem, nisi aut certa omnium pernicietas, aut captiuitas supererat; quarum priorem Finkius minime gratam regi fore iudicabat, quum is tot Austriacos captos teneret, pro quibus sui reddi possent. Vunschius auctor erat, vt cum equitatu per noctem fuga tentaretur; eoque consilio iam in viam se dabat; sed quum pedites sequi non possent, pacisci Finkius tandem coactus. Daunius, praeter captiuitatem, nullas alias condiciones admittens, Vunschium adeo, cum equitibus reuocatum, dedi sibi iubebat. Frustra tum Finkius, *separatim hunc suis praefectum esse*, dicere; Daunius contra immotus persistere, vt ad omnia tandem consentire Finkius cogere-tur. Vunschius itaque reuocatus, etsi reuertebatur, tamen pacti formulae nomen haud subscripsit; neque eo fecius cum reliquis captus est. Sola impedimenta salua Borussis relicta, quod caput conditionum fuerat. Iam vniuersa manus, nouem belli duces, vndecim militum millia partim pedites, partim equites, arma tradidere; nonnullis tantum velitibus elapsis, qui regi rem, Borussico nomini ignominiosissimam nunciarent. Finito demum bello, Finkius, Rebentischius, et Gersdorfius, belli duces, coram consilio militari causam iussi dicere, quum iudicibus non satisfecisse viderentur, ad munimenta publica dati sunt; Rebentischio quidem ali-

quamdiu adhuc seruata dignitate militari, reliquis autem duobus ea statim exutis.

35. Hanc calamitatem mox alia secuta est. Dirckium, belli ducem, cum tribus militum millibus prope Misenam constitutum, rex reuocabat ad exercitum. Cui quum flumen, glacie plenum, esset transeundum, ac parum superesset lemborum, qui et ipsi ab ingruenti hoste mox euertebantur, coactus est cum suis, quotquot fluuium nondum traiecerant, se hostibus dedere. Qua deditioe rursus mille quadringenti in Austriacorum potestatem uenere.

36. Nihilominus utriusque tum parti fauentium sua quemque expectatio fefellit. Daunius, ne persecutus quidem uictoriam et magna illa commoda, quae tanto labore parauerat, nec loco promouens, rursus, tanquam uictus esset, munita illa ad Pirnam castra ingressus. At Fridericus, dimidio paene spoliatus exercitu, idque finita propemodum anni eius expeditione, quo tempore diminutae solent esse omnes chiliades, nec iam supra uiginti militum millia secum habens, non modo loco haud cessit, uerum etiam uniuersam Saxoniam, praeter angulum illum Dresdensem, recuperauit. Ne tamen nimis imparem hosti haberet exercitum, duodecim ab exercitu Hanouerano millia sibi adduci iussit, quae, ducente Brunswicensis Ducis filio natu maximo, prope Chemnitium cum regis copiis se coniunxerunt.

37. Secuta hinc est hiberna expeditio, plane singularis, quae multos homines absumsit. Regis quidem exercitus prope Dresdam statiuam habebat in oppidis ac vicis, tam densatis ordinibus, ut exigua modo pars sub tecto ageret. Per dimidiam hyemem integrae chiliades

liades per vicos paruos erant distributae, vnde postea egressae per maiores distribuerentur. Ductores hypocausta et cubicula insidebant, gregarii milites casae exstruebant, in quibus ignes factos, interdium et noctu, Tatarorum more, circumfiderent. Asperrima erat hyems illa, frigoris praeter modum magna saeuitia, ac niues, genuum aequantes altitudinem, per plures hebdomades iacebant. Ligna ab ipsis militibus, saepius e sylua paulo remotiori, congeriebantur; quod propter frigoris asperitatem per totos dies ita fieri vidisses, vt magnae lignantium cateruae ad omnes vicos discurrerent. Nec minor erat victus penuria, quum militari pane (*Commissbrodt*) vescendum esset, vnde plerique iusculum aquarium sibi coquebant. Excubitorum et emissorum vices, propter aegrotantium multitudinem frequentissime mutabantur; quibus etsi defunctus semel miles fuisset, tamen propter interualli breuitatem satis reficere se neuitquam poterat. Quoties a lignatione feriretur, toto corpore, vt calefceret, in cineribus volutabatur. Nondum satis. Parua erant castra ad Vilsdrufium, vno a Dresda milliario distitum, quae moueri rex noluerat, sed quaternis cohortibus insideri iusserat, quae singulis diebus stationum vices mutarent sic, vt omnis paulatim regii exercitus peditatus, perpetua quadam ferie, eas veluti partes ageret. Manebant tentoria, sed gelu rigida, lintea quoque assibus non admodum erant dissimilia.

38. Quum imperfecta sint humana omnia, nec historiae scriptorem deceat, vitio cuius magnorum virorum, et morositatis vel stomachi insultibus quibusque, reconditae cuiusdam sapientiae colorem allinere liceat, quaeso, nobis, docente ipsa rerum natura, de

horum castrorum vtilitate dubitare, et, quum ibi paene inortuae hominum vires iacerent, eorum perpetuitatem, morositati potius cuidam, quam veris et iustis causis, tribuere.

39. Quum porro frigus illa hyeme non saeuus esset, quam diuturnius, militi paulo negligentius vestito, quotidie gelu membra adurebantur *). Non erant in castris caesae; excubitores acervos lignorum ardentium extruxerant, ordinum ductores in domunculis ligneis agebant. Milites gregarii, ne sanguis in venis frigore profus congelasceret, vel furentium more in castris discurrere, vel, ciborum coquendorum immemores, in tentoriis delitescere, ibique, vt aliquae saltem corporum partes commilitonum corporibus incallescere, alii aliis incumbere. Hoc certe situ non petere alios magis, quam defendere se, opinor, licebat; neque vnquam ex his castris in hyberna miserrima chilias vlla redibat, quin aegrotantium numerus, muscarum more in latebris suis pereuntium, aueretur. Vna profecto haec hyberna expeditio, plures regi milites, quam duo praelia, absumsit, quanquam minus animaduertebatur detrimentum, quod tironum supplementis identidem refarciretur. Neque vero benignius cum Austriacis actum, apud quos morbi grassabantur, quibus sedecim dierum spatio quatuor hominum millia periere.

40. Bel-

*) Auctor, qui tum in castris regis militabat, quae hic narrat, ibi tum ipse vidit. Nam et Forcadia chilias, in qua merebat, et quae Costebauidiae, prope Dresdam, statua habebat, singulis hebdomadibus, in castra illa Vilsdrufiana, ad mutandas stationum vices, proficiebatur.

40. Bellum, cum Suecis hoc anno gestum, ut semper, pauca habuit memorabilia. Quum post pugnam Cunnnersdorfensem Kleiftius, apud Boruffos belli dux, regi iuffus efflet cum fuis fe coniungere, licebat iam hinc Suecis libere vagari, qui, hac occasione vfi, loca aliquot, paruo a Boruffis praefidio inftituta, occupabant, nouemque armatis horum nauigiis, in portu Stetinenfi expugnatis, Prenzlaiam vsque progrediebantur. Sed mox Manteufelius, Borufforum belli dux, contracta manu, inde eieftos, trans Peenam flumen compulit. Nec dato quiefcendi fpatio, perpetuis velitationibus, Grypsvaldiam vsque proceffit, et multis captis, propter frigoris afperitatem, hybernae huic expeditioni finem impofuit. Cuius belli ducis diligentiam vlti Sueci, noctu Anclami ipfum aggreffi, captiuum abduxerunt.

41. Foederati bellum hoc anno varia fortuna gesserant. Quod fumma vi in terra continenti gerendum rati Britanni, praeter impenfās transuchendi exercitus ingentes, vniuerfo regni fenatu confentiente, vnde vicies centena millia librarum Britannicarum, huic rei deftinarent. Sed Francogalli initium expeditionis infigni quadam fraude fecerant, Francofordia ad Moenum, media hyeme fubito impetu occupata. Haec libera Germaniae ciuitas, quum, quidquid fiue militum, fiue pecuniae, imperio debuerat, fumma fide praeflitum mifflet, nihil rata ab eiusdem imperii fociis imminere fibi periculi, transitum Francogallis, non vniuerfis, fed cateruatim mittendis, concefferat. Qui quum alias identidem Moeni transitum effent caufati, iamque rursus eundem caufarentur, fine dubitatione, confuetis conditionibus rem impetrarant. Magna igitur eorum manu

ante urbem collecta, chilias vna intromissa est sic, vt clausa tamdiu maneret porta, donec haec pontem fluminis transisset. Vnde milites praesidarii in armis erant, partim vt Francogallos comitarentur, partim vt, ad portam, discriminis plenam, constituti, vim senatusconsulto adderent. Sed haec cautio non impediit, quominus sine sanguine vlllo vrbs occuparetur. Nam chiliadi vni intranti applicatae reliquae Francogallorum copiae, excubias ad portam, sibi restituras, adortae, terrore reliquis incusso, paucis horae momentis, vrbe imperii focia potiebantur, quam statim pro victa tractabant. Nam Solbifius, earum dux, curiam ingressus, regis sui mandata senatoribus exposuit. Viae vrbs publicae militibus et ardentium lignorum aceruis obsitae; incolae suam quisque domum vetiti relinquere, vel e fenestris adeo prospicere: milites denique reipublicae exarmati.

42. Iam igitur praetorii loco Francogallis haec vrbs erat, cuius ope celerius communicare consilia cum Austriacis et Germanico exercitu possent, nec non Rheno et Moeno necessaria omnia sibi subuecta exciperent. Haec iis commoda vt eriperet Ferdinandus, ab initio statim expeditionis, omnem operam impendebat. Sed dilata ad Aprilem vsque res fuerat, quod exercitus Germanici pars vna cum Austriacis et Francogallis, qui in Hassiam ac vicinas regiones irruperant, inde prius fuerant depellendi. Quod ipsum etiam a Ducis Brunsvicensis filio natu maximo factum erat eo successu, vt, exercitus Germanici militibus, perpetua velitatione attritis, Meinungae integra cataphractorum chiliade, cohorte vna Virtembergensi, ac duobus cristatorum Colonensium captis, Foederatorum prouinciae celeriter

leriter hostibus liberarentur. Iam igitur Ferdinandus relictiſ ad defendendas terras Hanoueranas et Haſſiam duodecim millibus, cum triginta millibus Francofordiam verſus mouebat. Cuius vrbiſ in vicinia, prope Bergam, vicum, quum Brolius, ſummus Francogallici exercitus dux, locum quendam editum ac valde munitum, prior occupafſet; iſ a Ferdinando expugnandus neceſſario erat ante, quam exſequi, quae in animo habebat, ipſi liceret.

43. Ibi ergo ipſiſ Idibus Apr. quum vterque exercitus concurrifſet; magna vi primum Berga oppugnata eſt, quae non modo ipſa firmata erat octo cohortibus Germanicis, Francogallorum ſtipendio militantibus, verum etiam a tergo defendebatur pluribus peditum Francicorum cateruis, qui ingenti numero tela explodebant. Haſſorum criſtatos aduerſus vicum ducebat princeps Iſenburgenſis, cui, tot cum difficultatibus, ab ipſa natura obiectis, luſtanti, facillime Francogalli reſiſtebant, ipſo loci ſitu et conditione adiuti. Ante vicum erant fauces, ac ſepes, cum vepretis, quarum Haſſi illas, paene viritim modo tranſire, has enitendo ac perreptando ſuperare cogebantur. Ad hoſ iuuandos cum ſuis accedens princeps iuuentutiſ Brunſuiceniſis, ſiniſtrum Francogallorum latus adoriebatur. Quorum aſſultu de nouo incitati Haſſi, quum aucta ferocia, impetum iterafſent, iam in eo erant Francogalli, vt loco cederent, niſi Brolius, eorum dux, artiſicioſo quodam motu, foederatos pariter a latere adortuſ eſſet. Quo factuſ repulſi Haſſi, ac dux eorum, princeps Iſenburgicuſ, glande plumbea traiectuſ. Ad quos perſequendos temerario impetu incenſae quaedam Francogallorum chiliades, turbatiſ ordinibus, progreſſae, nudum latus dabant foederatorum equitatuſ, vt grauiſſime ipſaſ adortuſ, pluri-

mos ex iis caederet. Sed omnia tamen adhuc pendebant ex eo, vt locus munitus ad Bergam occuparetur. Quem quum foederati etsi, trium horarum spatio, ter aggressi, tamen expugnare nondum potuissent, nihil aliud Ferdinando tum quidem restabat, nisi vt, inspectantibus hostibus, iusto ordine exercitum reduceret, ita quidem, vt fraude aliqua vulnus acceptum occultaret. Vix tum meridies erat, nec nisi noctu tuto poterat discedi. In re itaque tam trepida simulans se praelium redintegraturum, peditatui, bifariam diuiso equitatum interferebat, parte peditum huic praeposita, tanquam Bergam, eique vicinam a sinistra syluam simul esset inuasurus; nec minus vehementes tormentorum ictus eodem dirigebat. Hoc quum ad ingruentem vsque noctem fecisset, exercitum incolumem Vindeciam reduxit.

44. Quanquam igitur haud ita grauem iacturam in ipso praelio foederati fecerant, tamen extorta iis victoria plurimum incommodi secum ferebat. Nam quum, expugnata vrbe Francofurtensi, plurimum boni sperare iis licuisset; iam Francogallis manebat eius possessio; quibus maiori spe huius anni expeditionem ingredientibus, nihil aliud Ferdinando erat, nisi de defensione cogitandum. Potitus tamen est vtraque Vifurgis ripa, quidquid ad eum inde pellendum Franco galli tentarent. Progressi enim iam occupatis Castellis, expugnata per assultum vrbe Mindensi, horreis magnis, et supra mille quadringentis militibus potiebantur. Monasterium quoque per iustam obsidionem cum quatuor praesidiariorum millibus in eorum potestatem venit. Praeterea propter victoriam Bergenfem Brolius Principis Imperii Germanici dignitate ab imperatore ornatus est.

45. Sed tamen omnes Francogallorum conatus, in terras Hanoueranas irrumpendi, Ferdinandus impediebat, quum occupata per fraudem Brema, imperii ciuitate, Stadam vsque, Visurgim fluuium in potestate haberet. Praeterea, quum non Hanouerandarum modo terrarum possessio, verum etiam totius anni bellum ab vno iam praelio pendere coepisset; Minda ab hostibus expugnata, ad illud maturandum Ferdinando momentum fecit. Quod vt extorqueret hostibus, duas ab exercitu cateruas ad expugnanda a tergo ipsorum horrea emiserat, quarum alteram ducebat princeps iuuentutis Brunsvicensis, Heruordiam profectus, vt adiuuaret Dreuesium, (*Drewes*) belli ducem, qui Osnabrugam adortus, effractis portis, eiecto que inde hostium praesidio, horreum eius vrbis expugnabat. Tam commodo loco Foederatos, iniquo autem suos constitutos animaduertens Contadius, Francogallorum dux, vt etiam com meatu intercludi viderentur posse, ideoque perturbatus, prid. Cal. Aug. vespertino tempore, conuocato belli consilio, decreuit, illa ipsa adhuc nocte, ad hostem primo mane inuadendum, proficisci. Cui consilio fauere videbatur inprimis hoc, quod in varias partes foederatorum exercitus erat diuisus. Ne tamen aduersus quoscunque fortunae casus plane imparatus esset Contadius, riuum quendam, cum Visurgi confluentem, vnde viginti ponticulis iungendum curauerat. Francogalli nouem ordinibus instructi appropinquabant, quarum vni, (quam Brolius ducebat) mandatum fuerat, vt Vangenhemii, belli ducis, manum, secreto a maiori exercitu loco in castris munitis constitutam, inuaderet. Id, tertia demum hora matutina Ferdinando per transfugas nunciatum, eo fuit acceptius, quod praelium omnibus votis dudum optarat, iamque vltro hostem

decreuerat inuadere. Itaque et ipse cum exercitu sine mora est profectus.

46. Interim Brolius ad castra Vangenhemii peruenerat; vbi, quum in exsequendi celeritate posita essent omnia, ipse mora intempestiua inaeestimabile tempus conterebat. Francogalli enim, ordines celeriter instruere nescii, quum prima statim luce iussi essent hostes inuadere, prius dispersas passim cateruas colligere, et solutum aciei ordinem cogebantur restituere. Quo factum est, vt quinta demum hora Brolius hostes aggredi posset, Vangenhemius contra et Ferdinandus, ille parandae, hic adiuuandae defensionis moram lucrarentur. Atque omnino prudentissima huius ducis dispositio et artificiosissime instructa acies omnia Contadii consilia disiecit. Vangenhemio enim, relictis castris suis, lateri maioris exercitus adiuncto Francogalli, iniquissimo ac periculofissimo loco erant constituti, vbi Vifurgi, palude, et exercitu hostium cingerentur. Sed pugnandum iam erat scilicet nolentibus volentibus. Brolius quidem magna cum vehementia continuare impetum; sed eius milites per foederatorum tormenta vexari sic, vt breui tempore ne suis quidem vti amplius possent.

47. Caeterum ita instructa erat acies Franco-gallorum, vt flos equitum in centro pugnae esset. Sed hic ipse ordo tam praeposterus, qui iam semel, ineunte hoc saeculo, ad Hochstadium, eos perdiderat, foederatis veluti signum ad victoriam sublatum est. Nam, dum princeps Anhaltinus, sinistram eorum alam aggreditur, centro illi Ferdinandus pedites Britannicos et Hanoueranos immittit. Hi, minime curata globorum et tormentis grandine, quae non nisi oblique in ipsorum

latus

latus incidebat, summa virtute equitatum hostilem petunt; qui, ne expectato quidem eorum impetu, summa vi ipsos vndique inuadit. Sed his immotam tanto furori constantiam, nec interruptos ordines opponentibus, ac tela sine intermissione in eum explodentibus, magna tandem confusione fugam capeffit. Iterant impetum aliae equitum chiliades; sed repelluntur: succedunt nouae, quin praetoriani adeo, et equites sclopetarii, (*Gens d'armes und Carabiniers*) et in pedites Britannicos irruunt; sed tamen reiiciuntur. Quod tum quater ita accidit, foederatorum peditatu non locum suum modo tuente fortiter, sed etiam vltius progresso, et omnes equitum insultus propulsante. Apud Franco-gallos Saxones illo die magna virtute insignes fuere, qui Britannorum ordines impetu suo turbarant, sed tamen his subsistentibus, impetum fortiter excipientibus, pedem referre cogebantur. Et quum equites Franco-gallorum aciei ordinem semel rupissent, his proximi pedites destituti, latus hostibus obuertebant. Brolius igitur, etsi cum suis iam repulsus, hanc lacunam, confusione plenissimam, animaduertens, explere conatur. Atque hoc ipso temporis puncto, plane perdi Franco-gallorum exercitus poterat, in quod belli ars et virtus summa ipsos coniecerat, videbaturque iisdem parata clades nostri saeculi grauissima, Hochstadiensis certe, Taurinensi, et Ramillienfi multo grauior, nisi vniuersorum perniciem Britannici ducis perfidia auertisset.

48. Nam quum pedites foederatorum, quae sua erant, fatis essent exsecuti, equitum autem iam esset, opus absoluere; Ferdinandus mandata necessaria ad Sackvillium, (*Sackville*) illustrem Britannum, equitatus Britannici et Germanici ducem, quam celerrime perferenda

renda dederat. Sed hic, indignus sane Britannico nomine, quamuis alias nec ignauus nec hebes, tamen foeda Ferdinandi impulsus obtrectatione, cui soli in exercitu haec tantae victoriae laus displiceret, oppressa per inuidentiam patriae caritate, vel planissima Ferdinandi mandata dissimulabat se intelligere. Nequidquam tres deinceps summi ducis adiutores, (in his duo adeo Britannii) adequitantes, feuerissima de adducendo equite Ferdinandi mandata ei perferre; ipse cunctari, inaeestimabile tempus praetermittere, denique ipse ad quaerendum Ferdinandum in viam se dare, vt interpretationem verborum ab eo peteret, scilicet, quam ab infimo quoque gregariorum suorum commodius erat petiturus. Itaque non admiratione magis victus Ferdinandus, quam impatientia, antequam ille aduentaret, eadem mandata ad Granbyum, Marchionem, alterum a Saceuillio, ac secundae equitum aciei ducem, mittit, quibus ille statim paret. Ac iam Saceuillius quoque inter primos aderat, nisi opportunissimum illud temporis punctum, nullis vnquam vniuersae Britanniae diuitiis redimendum, praeteriisset. Hanc Brolius moram occasionem suam ratus, cum suis, restituto vtcunque ordine, se recepit, quem reliqui alae sinistrae Francogalli secuti sunt.

49. Interim in dextro foederatorum cornu acerrime pugnatum fuerat; in quo equites Boruffici, Hanouerani, et Hassiaci, repulso peditatu Francico, magna militum vi caesa, etiam aliquot millia ceperant, vt omnes iam fuga salutem quaererent. In tanta igitur calamitate quum Brolius dextrae Francogallorum alae fugam tegeret, Saxones, in magna suorum iactura, satis tamen ordinis seruandi memores, sinistrae receptum tuebantur.

50. Omnino in hac pugna Francogalli caesorum, vulneratorum, et captorum amiserant octo millia, tormenta triginta, signa septendecim; post aliquot vero dies etiam magnum impedimentorum agmen, partem aerarii, et summorum exercitus ducum suppellestem cum tabulario bellico (*Kriegsarchiv*); quibus omnibus accessit apparatus frumenti, Mindae, Osnabrugae, Bilefeldii, Paderbornae, et alibi repositus, foederatis caesos et vulneratos suorum non nisi mille trecentos numerantibus. Statim a praelio Contadius, ad Ferdinandum scripsit, victorem ipsum appellans, et vulneratorum ei Francogallorum curam commendans, omisurus tamen haud dubie superuacuum hanc diligentiam, si magnum victoris animum satis tum cognitum habuisset.

51. At Saceuillius iam in Britanniam reuocatus, non sine trepidatione ibi comparuit, veritus Byngii, classis praefecti, supplicium, cui se sanctioris tum consilii regii partem, inprimis suffragari meminerat. Summa in eum erant vniuersae gentis odia; plebs discerpturam se eum minari; illustrior populi pars contemnere; Georgius denique rex ipsum viri nomen auersari. Itaque abrogauit illi imperium, tradique sibi iussu comitum consistorianorum catalogo, sua manu eius nomen deleuit. Habita deinde ad cognoscendam eius causam quaestione militari, auxit facinoris magnitudinem, Ferdinandum, ingenio ipsius bellico obtrectantem, vt ipsum perderet, pugnantia inter se mandata sibi misisse, causatus. Sed multi, magnam partem nobilissimo genere et loco nati, Londinum transuecti ab exercitu, de admissio eius in pugna dedecore testimonium coram iudicibus fide dignissimum dicebant. Itaque damnato
suffra-

suffragiis omnibus, militia Britannica in perpetuum interdicitum est; non item ciuilibus muneribus, quod partim iudices militares hanc potestatem non habent, partim rex singulari in Dorsetum, Ducem, eius patrem, senem venerabilem, fauore ductus, id nollet, praesertim quum vel sic reipublicae fati a filii scelere cautum esse arbitraretur. Hic senex pater quum in aulam primum post illud praelium venisset, et ad regem salutaturus tristi vultu accederet, hic eum diu tacitus pari vultu intuebatur. Tandem amicissime amplexus: *Equidem*, inquit, *te Sacevillii patrem esse, vehementer doleo!*

52. Neque vero abs re fuerit, hic notasse, hunc Saceuillium, apud belli Germanici scriptores infamem non minus, quam domi, Georgio II. rege ignominia publica notatum, eundem esse, qui Georgio III. rege, per fraudem ad rempublicam administrandam iustus ingestus, belli ciuilis Americani fax et tuba fuerit, et Germani (*Germaine*) nomine rei bellicae administrum egerit. Hac ille dignitate ornatus, belli in America gerendi formulam descripsit, quae Burgoynum, belli ducem, grauissimis mandatis circumscriptum, in deserto Saratogae cum suis omnibus, hosti dedit. Quatum clade America primum verissime a Britannia auulsa est; nam vix de ea nuncius in Europam uenerat, quum Francogalli Americanas Britannorum colonias liberas agnoscerent. Sed in viam reuertamur.

53. Ipso pugnae Mindensis die aliam victoriam Carolus, filius Ducis Brunswicensis natus maximus, ad Gohfeldiam, ab hostibus reportauit. Nam Ferdinandus, (admirantibus non minus fociis, quam hostibus) id ipsum agens, ut cum exercitu longe numerosiori praelio

lio contenderet, suum minuerat decem militum millibus, quos ille iuuentutis princeps, quem modo diximus, aduersus Ducem Brissacensem ducebat. Hunc ille statim magna prudentia adortus, etsi non plane imparatum pugnae offenderat, tamen subito circumuentum, post magnas caedes, relictis impedimentis omnibus, fuga quam celerrima salutem coëgit quaerere. Occisorum certe in loco pugnae circumiacentium, sepultura rusticorum duo millia per triduum integrum occupauit. Foederati trecentos circiter milites amiserant.

54. Caeterum haec dies ingentium Francogallis incommodorum causa exstitit. Contadius locum, castris opportunissimum, prope Mindam coactus relinquere, Cassellis excedere, traicere Visurgim, hoste statim sequente ac perpetuo laceffente, prouinciam, a comenatu parum instructam percurrere, denique, quidquid hoc anno commodi consecutus esset, amittere. Horrea instructissima expugnata, et omnibus paene locis multi milites a foederatis capti. Sic integra cristatorum regionum cohors ab equitatu Borussia, duce Holstenio principe, intercepta. Secuti alii iique maiores conflictus, foederatis vbique vincentibus. Fischeri, excursoris Francogallici, manus a principe iuuentutis Brunsvicensi, ad Vetteram, oppidum, oppressa, partim caesa, partim capta, non nisi paucissimis vna cum ductore elapsis. Alia manus ad Elnhusam a Lucnero deprehensa, magna cum iactura victa. Marburgum, nongentis Francogallis firmatum, quum hi dedere nolissent, iusta obsidione cinctum, cuius die quinto, ex quo iniuncta fuerant brachia (*Laufgraeben*) facta deditio. Imhofius Monasterium missus, quam urbem et ipsam, aliquandiu circumfessam, deinde iusta obsidione oppugnatam, sexto post

post iniuncta brachia die, per deditionem occupauit, libere dimisso praesidio, sed retentis tormentis, com-
 meatu, et instrumento omni bellico. Id accidit, a. d.
 XIII. Cal. Dec. eodem die, quo et Borussis cladem Ma-
 xenensem Austriaci intulerant, et Haakius, (*Hawke*)
 Britannicae classis praefectus, Francicam, ad oram Fran-
 ciae, horrenda procella saeviente, disiecerat, quae pu-
 gna raualis post hominum memoriam haud dubie sui
 similem vix videtur habuisse.

55. Caeterum etsi tam collapsa Monasterii mu-
 nimenta Imhofius repererat, vt vix defendi vrbs ad-
 uersus hostem amplius videretur posse; tamen, im-
 posito quinque millium praesidio, ad exercitum prima-
 rium reuertit. Neque uero tum, quantumlibet annus
 senescens finem pugnandi commendare bellantibus vide-
 batur, huius anni finita fuit expeditio. Secuta est enim
 Fuldae, vrbs per foederatos occupatio, quam Dux
 Wirtembergensis cum copiis suis tenebat. Hic, decem
 militum millia, Francico stipendio militare iussa, ipse
 ducens, proxima vrbi castra habebat. Nihil itaque mi-
 nus, quam hostem ratus affore, foeminas Fuldensium
 illustres ad saltationem inuitarat. Qua initium habitura
 cum maxime, emissus contra eum Carolus Brunswicensis,
 cum velitibus et equitibus desultoriis ante portas ap-
 pareret: in vrbem irrumpit, multos hostium ibi caedit,
 extra vrbem versantes dissipat, et supra mille ducentos
 capit. Dux ipse fuga euadit; eius copiae, magna con-
 fusione vrbem relinquunt; illustres foeminae saltationis
 celebrandae spe prorsus excidunt.

56. His rebus gestis princeps iuuentutis Brun-
 swicensis paulo post, regis Borussiae firmaturus exerci-
 tum, in Saxoniam cum suis contendit. Hinc subnatum

Franco-

Francogallis consilium, inuadendi in statiuis foederati exercitus; quo facinore necopino Brolius, summus iam Francici exercitus praefectus, ac nuperrime supremi belli ducis (*Marschall*) dignitate ornatus, dignum se illo ornamento volebat ostendere. Itaque, quantumuis saeuiente hyeme, a. d. VIII. Cal. Ianuar. rem aggressus est. At Ferdinandus, Giesam obsidione claudens, ac dispositum per statiuam militem statim promptum habens, ita Francogallos tum quidem excepit, vt, post creberrime explosa vtrinque tormenta, pedem referre cogerentur. Et quominus omnem prosperrimae expeditionis fructum Ferdinandus perciperet, aduersus ille Friderici ad Maxenam casus, propter quem auocata a foederatis in Saxoniam numerosa manu, horum insigniter erat immixtus exercitus, effecerat.

57. Sed extracti semel per Francogallos ex hybernis foederati, iam omnibus modis eos atterebant, nominatim Lucnerus, chiliarchus, oppressis identidem, et captis, quos illi delectos passim emiserant, donec tandem summa frigoris saeuitia requiem in hybernis vtrisque commendasset. Ea Castellis et in Vestphalia Ferdinandus, circa Francofordiam contra ac Moenum Francogalli agebant. Atque omnino naturas inter se veluti permutasse nationes tum videbantur, Russis quidem ac Suecis, interea dum in Saxonia Germani et Francogalli, media hyeme bellum gerunt, ante duo iam menses in hyberna reductis.

58. Etiam pacis quaedam tum facta mentio. Britannii enim quum plurimum expugnassent, Borussi parum amisissent, (nam Friderico, quidquid redituum e Borussia decesserat, Saxonia abunde resarciebat, nec minus in acie formidandum clades omnes fecerant) vtrique

iunctim caeteris pacis condiciones proponebant. Quod quum Hagae comitum profitendum publice curassent, Stanislaus rex, qui Poloniae regno, bis potitus, bis deiectus, in philosophico secessu aequissimo animo carebat, Nancium (*Nancy*) sedem suam, de pace acturis liberalissime offerebat. Ea res gratissima erat Friderico et Georgio II. Fridericus certe, Friberga, vbi praetorium tum habebat, ei sic rescripsit. *” Quod tu nobis obtulisti, in eo liberalitatem tuam agnosco, et gratissima mente accipio, neutiquam dubitans, fore, ut, quae te auspice geruntur, prosperrimos successus habeant. Sed non omnes tanto pacis studio aguntur. Aulae certe, Viennensis et Petropolitana, mira quadam ratione propositis a me ac Britanniae rege conditionibus aduersantur. Eaedem haud dubie Franciae regem, generum tuum, mouebunt ad continuandum bellum eiusmodi, e quo dulcissimos se fructus percepturas sperant. Sed eaedem omnem sanguinis adhuc profundendi culpam solae habebunt. Vtinam, quemadmodum Tu, ita omnes principes personantem ipsorum aures humanitatis, clementiae, et iustitiae vocem audiant, profecto non diutius vastitatis, caedium, ac flammaram scenam terrarum orbis oculis nostris obiiceret!”*

59. Ad has condiciones ab aduersariis non nisi vage responsum est. Tum Breda, denique Lipsia, incassum vtraque, pacis tractandae causa commendata. Quum enim Friderici hostes nihil non boni ex foedere ingenti, inuicem facto, sperarent, ne velle quidem de restituenda pace cogitare videbantur; sed hyemem potius ad augendos exercitus, et explendas horum quasi lacunas impendebant. Quod ipsum etsi Fridericus pariter faciebat, haud paulo tamen maioribus cum difficulta-

cultatibus, videbat, sibi pugnandum esse. Nam quum hostes eius vniuersi imperarent omnino octingentes centenis hominum millibus (80 *Millionen*), ipse contra nondum septuagies centena incolarum millia (7 *Millionen*) numerabat. Et quum in hostium potestate esset regnum Borussiae cum aliis quibusdam eius terris, hinc certe non licebat ipsi supplementa scribere. Refarciebat tamen maxime hanc iacturam Saxonia, vnde, velut e perenni quodam fonte com meatum, pecunias, ac milites conscriberet. Atque omnino paene immanes erant hominum atque terra natorum exactiones, quae miserae regioni summa cum acerbitate imperabantur. Vno quidem anno MDCCLX vicies centena imperialium millia, numerari, decem tironum millia sisti, aliquoties centena frumenti, cum aliquot equorum millibus, praeter ingentem pecorum altitium numerum, conferri oportuit. Caesae quoque syluae densissimae, et ligna redemptoribus diuendita.

60. Accidit hoc imprimis syluae Torgensi, Germaniae totius haud dubie pulcherrimae, praesertim quum vicina esset ripae Albis fluminis. Ibi enim ligna omnia secundo flumine Hamburgum deuecta. Etiam publicani Saxonici vectigalia in annum integrum repraesentare iussi. Sed quanto minor, Fridericum hoc quidem rerum statu, pecuniae, tanto maior contra militum penuria vrgebat. Plures enim ab eius exercitiibus transfugerant, quam, vt partim Saxoniae, partim suarum terrarum iuuentute explere istas lacunas posset. Itaque, necessitate ille compulsus, consilium de conqui-
rendo milite excogitauit, quod siue natura sua, siue ambitu, post hominum memoriam, in toto terrarum orbe simile non videtur habuisse. Id erat huiusmodi: Ca-
pti ab hostibus, Borussiae militare per vim coacti; in-

uiti ad signa cohortium pertracti, vt sacramento dicerent, sicque aduersus suos populares ducti. Germania omnis superior, Borussicis clam inundata militum conquisitoribus. Hi, vagi fortunae captatores, (non ductores ordinum, quos se mentiebantur) mercede conducti, nullas capiendorum hominum artes sibi non licere existimabant. Praeerat iis Colignonius, chiliarchus Borussicus, ad hoc negotium a natura veluti factus, suoque exemplo praeibat. Is, mutato identidem habitu ac vestitu circumuagari, ac centenos subinde iuuenes ad militiam apud Borussos amplectendam blandis alloquiis adducere. Nec polliceri modo, verum etiam in manus tradere diplomata, quibus ineptissimo cuique iuuenum, litterarum studiosis, adiutoribus mercantium, aliisque procenturionum ac centurionum adeo in exercitiis, siue apud pedites, siue equites, siue velites, (nam permittebatur optio) locus assignaretur. Ac tum tanta erat tamque late patebat armorum Borussicorum fama ac reuerentia, vt ista diplomatum quasi officina nunquam fere ab opere cessaret. Neque vero ille opus habere, vt transportandos curaret, vel auctoramentum (*Handgeld*) iis daret; nam suis plerique sumptibus proficiscebantur. Itaque multi tum in Franconia, Sueuia, et ad Rhenum, filii, vix ephebi, patres; adiutores tironesque mercatorum heros; procuratores fiscos compilare, vt ad magnanimos illos scilicet, ordinum apud Borussos ductores, concurrerent, apud quos centuriis militaribus praefici gratis liceret. Statim deinde quisque Magdeburgum aduolare cum diplomate; ibi intergregarios adscribi, atque chiliadibus hinc inde per vin inferi. Hac et aliis rationibus, regi Colignonius cum suorum grege paulatim sexaginta tironum millia, sexennii spatio, conquisiuit.

61. Ergo vel sic, quas aula Viennensis ac Petropolitana insuperabiles Friderico difficultates fore crederant, gnauum et follers eius ingenium, ductorum militarium fides, et prompta semper pecunia, superabant. Et licet vtraque aula, militum penuriam rebus ab egerendis terminum posituram, ratae, captiuorum permutationem ei primum grauatim concederent, ac tandem plane negarent; nihilo tamen secius ei res visa procedere, vt, appetente vere, iustum semper numerum exercitus Boruffici haberent. Quin, quae ad Maxenam paulo ante chiliades amissae fuerant, eadem, sub iisdem nominibus, ex his, qui conualuerant, qui se ipsi redeemerant, et qui fuerant conquisiti, restituebantur.

LIBER V. ANNVS 1760.

CAP. I. Hoc anno, inter iunctas foederibus aulæ potentissimas conuenerat, vt alterutra cedere rex, siue Saxonia, siue Silesia, cogeretur. Sed quum priuatis quaeque commodis studeret, non nisi post longas demum deliberationes Viennensis ac Petropolitana communiter sic decreuerant. Francogalli, Stetinium a Russis obsideri, Solticouius per maritimam Pomeraniam, occupato prius Gedano, bellum gerere, Austriaci denique Silesiam ante omnia recuperari volebant. Tandem horum sententia praeualuit, ac Solticouius, cum exercitu Russico in hanc irrumpere, et Vratislauriam oppugnare iussus. Id enim optimum ac prudentissimum factu esse, quantumuis apparatu bellico destitutis difficillimum videbatur, Petropoli nemo non sibi persua-

ferat. Peritis quidem artis bellicae non poterat non mirabilis videri magnae urbis oppugnatio, quam obsessuri, a Vistula flumine profecti, necessarium ad eam rem apparatus tormentarium, e Bohemia aduehendum sibi curarent.

2. Silesia ab huius inde anni initio, non nisi parum numero firmata erat exercitu. Quam defensurus Fuquetus (*Fouquet*) Borufforum belli dux, cum tredecim militum millibus, ac diserte a rege vetitus eo loco hostibus cedere, munitis ad Landshutiam castris, confederat. Hinc emissis aliquot cateruis quum numerum copiarum minuisset, aggressus eum Laudonius quinque simul locis, cum quinquaginta suorum millibus, quos in quinque partes diuiserat, expugnatis aliquot munimentis, tanquam in vrbe munita obsessum, ad deductionem hortatus est. At ille, pro verborum sonis, tormentorum sonos, imo ictus remittens, perpetuo dimicando, alium ex alio collem cum suis petens, tandem numero hostium succubuit. Ipse, accepto in capite vulnere grauissimo, quum humi prolapsus esset, accessissetque eques Auftriacus, eum cum maxime confecturus, equisonis cuiusdam fide seruatus est. Is enim, supra herum, proiectus, huic destinatos ictus suo corpore excepit. Qui quia letiferi minime fuerant, sanitati post restitutus, vitam exinde commodiorem, tantae fidei praemium, accepit.

3. Fuquetus autem cum sex millibus, peditum maxime, captus est, caesis in pugna sexcentis, vulneratis mille octingentis. Equites vi hostium ordines perruperant, nec minus peditum parua pars euaserat. At Auftriacorum partim ceciderant, partim vulnerati fuerant tria omnino millia. Quorum victoriam Laudonius

donius Landshuti direptione foedauit, quam urbem etfi parum munitam, nec nisi linteorum commerciis florentem, ac nobilem, is, militem demonstratae virtutis causa remuneraturus, et ad parem in posterum fortitudinem incitaturus, non secus atque castellum, assultu captum, tractare minime verebatur.

4. Praelium Landshutense statim secuta Glacii expugnatio, maximi illa ad reliquum omne bellum momenti futura. Ea vrbs, omnium in terris Borussicis, praeter Magdeburgum, longe munitissima, quum haberet praesidiariorum non nisi duo millia cum quadringentis, hos ipsos autem maximam partem transfugas et extraneos, haberet porro praefectum, nauci hominem, Oum, (*d'O*) Italum, nescio quo casu ad eam dignitatem euectum, haberet denique, (quod erat pessimum) exercitum regis magno ab ipsa interuallo disiectum; mense Iulio, per Drascouitium, belli ducem, obsideri coepta, e sedecim aggeribus tormentariis infestabatur. Relictis statim a Borussorum praesidio munimentis aliquot exterioribus Croatae potiti, incitante operis successu, maiora et interiora assultu inuadebant. Ibi ecce! praesidiarii, seu rectius, praesidiariorum colluies seditionem mouet, arma centuriae integrae abiciunt; quatuor horarum spatio, vrbs omnis, ac partes eius singulae, ne facta quidem conditionum mentione vlla, in Austriacorum potestatem veniunt. Castellum vetus, quod vocant, ferro expugnatum; Nouum plane victoris arbitrio deditum. Qui quum ingentem comitatus apparatus ibi inuenisset, habebat iam, vbi pedem in Silesia figeret.

5. Quae dum ibi geruntur, Fridericus, Henrico, fratre cum exercitu ad Viadrum ac Poloniae fines, vt

Rufforum motus obseruaret, misso, ipse, postquam calidis atque artificiosis itineribus Daunium Dresda aliquanto longius amouerat, eius vrbs obsidione expeditionem anni huius erat exorsus. Hic enim dux, Fridericum videns per Lusatiam iter molientem, ideoque Silesiam petiturum, ratus, nihil quidem studiosius, quam eo ipsum praeuenire cupiebat; iamque bidui itinere ante eum confecto, lucratum se tantundem spatii putabat, quum re ipsa tantundem potius perdidisset: Nam rex, subito conuersus, viamque remensus, ante Dresdam castra ponebat. Ibi tum non incolae magis, quam praesidiarii, in summa trepidatione esse; Austriacis, paucarum horarum spatio ex hortis regiis magnis atque suburbiis per Boruffos eiectis; qui si tum assultum statim tentare essent ausi, subito fortassis potiti Dresda fuissent. Sed verisimile est, Fridericum, maxime propter horrendam saeuitiam, cum assultu repentino vt plurimum, in sede praesertim regia, coniunctam, ab isto consilio abhorruisse. Qui quum urbem tam insignem, aequis conditionibus celeriter a praesidiariis traditum iri sperasset; aduentu autem exercitus Austriaci, ab altera Albis ripa vrbi se applicantis, et auxilia submittentis identidem, mutatam scenam vidisset; iustam hinc oppugnationem aggressus est, quae inter nobilissimas belli tam insignis merito refertur.

6. Prid. Id. Iul. itaque initium infestandae ab vtraque Albis ripa vrbs factum. Eodem adhuc die ligna arida ad fluuium exstructa, ne iis ad explendam vrbs fossam Boruffi abuterentur, a praesidiariis incensa, auctis statim flammis, multa vicina aedificia in cineres verterunt. Quum tormenta maiora Magdeburgo aduecta nondum essent, ab initio duodenaria (*Zwölfpfünder*)

pfünder) tantum, pyroboli tormentarii, et glandes igniuomae adhibitae. Restincta tamen, quae his fiebant incendia, incolarum, Iudaeorum maxime, indefessa diligentia. Et a Boruffis quidem, sperantibus fore, ut periculo incensam videndi sedem regiam, eamque regis focii, cuius terras defensuri aderant, Austriaci mouerentur, statim plures tormentorum ictus, in urbem ipsam, quam in vallum, dirigebantur. Sed nihil hac re commotus Maquirius, belli dux, urbis praefectus, haud dubie regis mandatis pariturus, eam tuebatur, adiutus ille ab vniuerso Auftriacorum exercitu, qui paucis post diebus aduenerat, et cuius copiae depulsa per vim, quae cis Albim, procul ab exercitu regio fuerat, Borufforum manu, per urbem Nouam, non secus ac si nulla fieret obsidio, perpetuo discursitabant. Ac tanti fuit haec Auftriacorum cum praesidiariis restituta coniunctio, ut quidquid Boruffi hinc fusciperent, non posset non vehementer impediri. Factum est igitur, ut, quiescente interim praesidio, magnae Auftriacorum manus, urbem ingressae, eruptiones facerent. Quibus impulsus Fridericus, quum aliquot annis ante Pragae et Olomucii partibus interioribus pepercisset, mutata iam sententia, volebat experiri, annon Austriaci, si, Dresdam intra paucos dies in cineres redactum iri, certo praevidissent, sua sponte essent inde discessuri?

7. Etenim maiori apparatu tormentario Magdeburgo interim aduecto, sine intermissione iam pyroboli in urbem coniecti. Lamentari incolae, nescii, quo tandem in re tam trepida se verterent, quum suae cuique domi verendum esset, ne vel elisi, vel flammis exusti, vel suffocati, perirent, foris autem globi ferrei mortem praesentissimam minarentur, praesertim, quum in horas

paene talia acciderent, vt non nisi extrema necessitate coacti foras prodirent. Quod superiori obsidione incolume manserat, Vilsdrufense suburbium, iam a Boruffis, vt vallo propiores essent, incensum. Hinc flammae intra urbem non minus, quam extra, furere; multae plateae insignes ex omni parte ardere; palatia vel magnificentissima, quamlibet Italiae urbem mirifice ornatura, in cineres confidere; in horas multarum contignationum domus, industriae publicae ac felicitatis sedes, corruere; identidem miserii incolae vel harum ruinis obrui, vel relictis fortunis omnibus, aufugere. Augebat calamitatem praesidiariorum Austriacorum illiberalitas, quorum rapaces manus plus damni Dresdenfibus, quam pyroboli cum flammis, inferebant. Sic, quum essent in vrbe cellae multae ac fornices subterranei, pyrobolorum ictibus plane impenetrabiles, quo sexcentae familiae, quidquid ipsis pretiosum esset, contulerant, adituque omni vel claustris magnis, vel faxis vndique obstructo, caetera casui aut primo cuique occupaturo permiserant, ipsae interea vel in vineas proximas, vel in alias vrbes migraturae, operam se luisse, ac spe reuisendarum fortunarum deiectos esse, post expertae sunt, ausis quippe Austriacis, fociis, cellas istas effractas expilare, quarum vel artificiosissime obstructos aditus essent expiscati. Ac ne supplicio quidem capitis ea de causa affecti haud pauci, caeteros exemplo deteruere. Tale erat vrbis praesidium! tam laxa disciplina, quae posteris adeo ipsis bona quaedam abstulit. Nam libri aliquot Rabeneri, Satyrici egregii, manu scripti, ac prelo parati, quos et ipsos in tali cella condiderat, in Croatas incidere, minime illos curaturos scilicet, vt typis hi exscriberentur. Qua de iactura grauiter conquestus auctor, rogantibus enixe amicis,

vt iterum de iisdem argumentis scriberet, *facturum se id unquam*, negavit, *ne gaudia ineptorum de obsidione Dresdensi turbaret.*

8. Interim assidue vrbs infestata pyrobolis, quorum plurimi in aedem S. Crucis, Saxonicarum ex vetustissimis iuxta et pulcherrimis, incidebant. Diu quum restitisset turris firmissima, tandem collapsa non tectum modo templi, verum etiam aedes vicinas elisit, reliqua flammis consumentibus. Fuerant in illa turri tormenta aliquot, quae ex vetusto quodam ritu, festis diebus explodebantur. Quae quum in illa ipsa obsidione ad hostes petendos quorundam stultitia adhibuisset; hinc templum ipsum a Borussis pro tormentorum aggere tractatum, qui omnibus modis euertendus esset. Et quum de conseruandis templis apud Borussos nihil mandatum fuisset, etiam reliqua pyrobolis peti coepta, maxime turris magnifica, aedi B. Virginis imposita, quae concameratum tectum habet; sed assidue repercussis a fastigio (*Kuppel*) pyrobolis, turris non nisi paululum hiabat.

9. Inprimis tamen incolae seruare corpora sua studebant, crebris de integrarum familiarum sub aedium suarum ruinis interitu et fame ingruente nunciis omnes perturbantibus. Et quum, liberata per Aufriacos Noua Vrbs tutum a pyrobolis praeberet perfugium, ad tecta vsque domus ibi hominibus stipabantur, plures tamen urbem plane reliquerant. Refertae tum abeuntibus viae publicae; senes cum matronis, fracti annis et viribus, vel cum baculis, lento gradu repere, vel liberorum suorum brachiis innixi, farcinulas ferentium, et aegre pedem promouentium, incedere. Matres, a prima inde infantia quibusque vitae deliciis adfuetae,
admo-

admotis mammae infantibus, ingenti gemitu, pedibus emigrare. Parvuli adultiores flere, infantes vagire. Multi clara voce Deum implorando leuamentum dolori quaerere; alius alium solatiis impertiri; quae tamen partim vr̄bis fumantis adſpectus, partim famis ſacuitia, et miſeriarum impendentium metus rurfus obſcurarent. Quum iumenta haberi non poſſent, multi elegantiae omniumque rerum affluentiae adſuefacti, ereptam flammis ſupellectilem, tergo geſtare, puellae oris formoſiſſimi, cultus elegantiſſimi, corporis tenerrimi, qualium Dresda tum ferax, iumentorum ritu onuſtae conſpici; infirmiores earum et aegrotantes per amicos mares monotrochis (*Schubcarren*) vehi; quidquid denique alias decorum aut venuſtum haberetur, hoc tali tempore, vna cum reliquo humanae dignitatis diſcrimine, vel obſcurari, vel plane euaneſcere.

10. Caeterum etſi egregie non modo a tormentis, verum etiam ab operis tormentariis inſtructi erant praefidarii, tamen Boruſſos, quum aggeres ſuos tormentarios poſt incenſarum aedium ruinas exſtruxiſſent, ab ic̄tibus inferendis prohibere minime licebat. Vno quidem die, qui erat a. d. XIV. Cal. Aug. ſupra mille quadringenti pyroboli et ferrei globi in vr̄bem coniecti, vt paene vbique flammae erumperent. Nec reſtinguere amplius quiſquam ſtudebat, praefertim quum aquis cifterninis, tam neceſſariis, incolae Boruſſi prohibuiſſent. Alia ex alia eruptio. Quarum ſane quaedam obſeſſis proſpere ſuccedebant, quibus per recentes ſubinde copias firmatis, latius vim ſuam licebat extendere. Vnde Boruſſi nonnunquam e foſſis eiecti, tormenta obturando corrupta; captiui in vr̄bem illati.

II. His detrimentis indignatus Fridericus, a chiliade Bernburgica, quae in fossis non satis diu hosti relictata, numero victa cesserat, poenas grauissimas, inaudito adhuc inter Borussos exemplo, repetiit, iussis gregariis gladios, ordinum ductoribus, inferioribus ac superioribus, argenteas pileorum fimbrias deponere. Quibus vtrisque etsi facillime carebat miles, gregario quidem iter faciente expeditus, ductore autem vix desiderante illa vestitus ornamenta superflua; tamen, quum maioris rei signum inesset, summos quosque apud ambitiosum militem effectus adempta haec gignebant. Grauissime hinc afflicti totius chiliadis animi, quae, instituta primum ab ipso illo Sene Leopoldo, Dessauensi principe celeberrimo, haud pauca iam exinde virtutis ac disciplinae militaris specimina ediderat. Omnes paene ordinum ductores, nullo fortunarum discrimine, officio se suo, prout res tum tulisset, satisfecisse confecti, missionem petebant; at petentibus singulis rex negabat. Et quum in Francia atque alibi ductoribus ordinum, quandocumque ipsis liberit, abire militia liceat; apud solos exercitus Borussicos, quorum ductores, ad vnum omnes, militaris gloriae stimulis praeter caeteris nationibus agitantur acerrime, et illam belli velut machinam soli animant, haec inducta fuit necessitas, vt vt magno illi gloria militaris phantasmati aduerfetur. Sed aetatis nostrae cultura, exquisitior scilicet, umbrae huic veritatis naturam circumdedit. Quanquam vero singulas disciplinae magnorum virorum partes ab accuratissima rerum cogitatione, ac summa rerum ciuiliu peritia proficisci solere, plerique vulgo arbitrantur; tamen hanc Friderici in cogendis ad militiam suam ordinum ductoribus feueritatem stomacho eius licebit tribuere, quem casu fortasse aliquo sibi moueri

ueri quum sensisset, firmo deinde iudicio in agendo secutus est. Abundat certe exemplis talibus eius historia, quae laudaturi eum oratores omittunt, iudicaturi de ipso philosophi inuiti colligunt, rerum denique gestarum scriptores, quid de iis statuunt, nesciunt.

12. Sed reuertamur ad obsidionem Dresdensem, quae iam non nisi dicis causa continuabatur. Quam quum Austriaci solutam quam primum cuperent, iuncto sibi exercitu Germanico, exercitum regium, obsessores iuuantem, tentabant subito inuadere. Cui consilio imprimis fauere videbatur, quod in vico, a castris paulo remotiori, praetorium Fridericus fixerat. Vnde illi spectabant, fore, vt ipsum caperent, omninoque victoriam, Hochkircheni parem, reportarent. Sed quamuis celerime ac prima luce gesta omnia fuerant; et ab vrge leuiori Austriacorum equitatu repulsis Borufforum excubitoribus, vix equi conscendendi ac vici relinquendi spatium rex habuerat; tamen effectum consilium carebat ita, vt vicus ille appropinquanti hosti esset rei gerendae terminus. Nam, quum vniuersus exercitus, h. e. pedites, equites, tormentarii, altissimo per tentoria somno oppressi iacerent, et incredibile vndiquaque esset silentium, intra paucas horae sexagesimas tota acies instructa constiterat. Orto enim sole, diei serenissimae praenuncio, horrenda illa voce: *Ad arma!* a multis clamantium millibus repetita, vniuersa castra personabant. *) Mox e tentoriis feminudi milites profilire, suo se quisque loco inferere, ac sic tota acies instructis ordinibus aduersam hostibus se opponere. Verum hi statim, quum Daunius iusto praelio decerere

here

*) Haec quoque suis ipse oculis fieri auctor vidit.

niere neuti quam cuperet, magna cum festinatione viam telegerunt.

13. Mouit tamen haec res Fridericum, vt exercitum paulo aliter collocaret, et castris ab horto regio maiori remotis, sinistrum latus tegendi causa, arboribus eius horti stratis obsepiret. Caedebantur ergo iam procerae illae arbores non vetustate magis venerabiles, quam raritate inaeestimabiles, et ordine pulcherrimo ambulacra spatiantibus praebentes amoenissima, omnisque omnino hortus, ambitu, arte, atque magnificentia sua similem vix habens, Germaniae ornamentum, idemque potentissimo rege dignissimum, paucis horis in foedam solitudinem conuertebatur. Amouerant tamen Saxones ante obsidionem statuas marmoreas, quae hortum ornarant, et museum antiquitatum regium, e cisalpinis quidem excellentissimum, in eodem horto, iam euerso, defoderant; quo pacto, nescientibus Borussis, haec artis monumenta patriae conseruarunt.

14. Exinde minori indies impetu continuata obsidio, quum omnis iam capiendae vrbs spes euauisset. Accessit reliquis difficultatibus non paucis, quod octo naues, magna frumentorum et apparatus bellici copia onustae, et Magdeburgo aduectae, in manus Austriaeorum omnes peruenerant, quod alimenta Borussos coeperant deficeret, quod denique hostes vtraque Albis ripa potiti, commeatus subuectionem omnibus modis impediabant.

15. Soluturus ergo rex obsidionem cum maxime, de Glacio expugnato nuncium accipit, obsessis insuper per festos ignes gaudium ea de re testantibus, ac victoriam
tormen-

tormentorum ictibus, (non vanis, sed adiunctis cuique globis) circa urbem celebrantibus. Etiam Laudonius victoriam Landshutianam, quantum posset, persecuturus, Vratislaviam obsidebat. His de causis, maturato abitu, Borussi, nocte pluvia, caelo admodum turbido, ab vrbe discedebant, continuatis primum, e fossis, tormentorum ictibus, deinde imminutis, denique profus cessantibus. Rex, relictis castris, Misenam cum exercitu petebat.

16. Atque hic finis obsidionis Dresdensis, in qua Borufforum partim ceciderant, partim vulnerati erant mille quadringenti duodecoginta. Exusta erant huius regiae templa sex, ac domus quadringentae sedecim, maximam partem altissimae, pulcherrimae, publicae ac palatia, centum et quindecim laesae et labefactae. Multi incolarum vel vita omnino priuati, vel mutilati, plures etiam, antea locupletes, ad mendicitatem redacti. Aliquoties centenae familiae, complurium aetatum industria ditatae, quae partis per hanc commodis, velut hereditate acceptis, summa cum tranquillitate fruebantur, omnibus his plane exutae. Cognati, quos sanguinis atque caritatis necessitudo inter se iunxisset, iam repente diuulsi, et mares quidem, relictæ misera patria, sumto scipione viatorio, sub alio caelo victum manu quaesituri; puellae contra, molliter educatae, et aliorum adhuc opera quotidie vsae, abiecta lautioris vitae spe, ipsae iam aliis, victus causa, famulaturae. Ac ne nunc quidem, post vndetriginta annos integros, horrendae obsidionis effectus ita euanuerunt, vt non amplius sentiantur. Nam etsi Saxonia vniuersa paululum a bello respirauit, regia tamen vrbs, quae non mercaturae negotiis, sed incolarum industria

alitur,

alitur, aliquanto tardius videtur subsequi. Amota sane videas rudera, et aedium flammis absumtarum loco alias domos, cum palatiis exstructas; sed pristina magnificae regiae felicitas, in qua ars cum splendore certarat, artificum summorum ingenia, summis praemiis incenta fuerant, morum elegantia cum opulentia atque industria pariter creuerat, exquisitissimae denique deliciae caeteris orbis terrarum vrbibus exemplo fuerant, horum, inquam, omnium paucissima nunc Dresdae vestigia supersunt.

17. Caeterum haec obsidio, tam parum fausto suscepta euentu, finem fecit cladium, quibus haud interrupta serie, a duodecim inde mensium spatio fortuna Fridericum non tam affecerat, quam obruere videbatur voluisse. Et quemadmodum in annalibus bellicis expeditio anni MDCCLVII, sine exemplo est, ita non minus exemplo caret, vnum eundemque principem, tam breui temporis spatio tot belli calamitatibus subactum, tamen nondum plane succubuisse. Prima erat infelix aduersus Russos pugna Zulichauiensis, Iulio mense MDCCLIX, commissa, ac veluti signum aduersae fortunae sublatum; sequebantur clades horrenda Cunnorsdorfiensis, ac Dresdae per Austriacos expugnatio; Finckius deinde cum magna manu ad Maxenam, ac Dirckius, cum aliquanto minori ad Misenam, vterque capti; tum bellum hybernium cum morbis letiferis per exercitum grassantibus; hinc praelium Landshutense infaustum, porro Glacium ab Austriacis expugnatum, denique frustra suscepta Dresdae obsidio.

18. Hinc igitur statim in Silesiam profectus est rex cum exercitu, Vratislauriam, quam Laudonius iusta obsidione cinxerat, liberaturus. Ibi ecce! rursus spe-

ſtaculum, omnium contemplatione digniſſimum. Nam ille ipſe Fridericus, cuius in deligendo exercitus aut manus armatae duce ingenium erat longe perſpicaciſſimum, raro eandem adhibebat diligentiam in deſignandis urbium munitarum praefectis, ſed, vt vel aetas et locus, vel caſus dabat, ita nunc Ois, nunc Heydenis *) tuendas illas ſolebat committere. Tum quidem haud dubie Genius tutelaris eius animum rexerat. Nam quum militibus praetorianis, inde a praelio Collinenſi, quod ipſos maximam partem abſumerat, Vratiſlauriam ſtatuorum ſedem assignaſſet, Tauencinium, eorum ducem, eadem opera eius urbis praefectum eſſe iuſſerat. Hic, ſcholae militaris Poſtampienſis diſciplina imbutus, quum conſenſiſſet, cum ſummo gloriae ſtudio ac virtute ingenium militare et belli peritiam inſignem coniunxerat. Neque vero haec non iuncta ineſſe debebant viro, qui tanta loci atque conditionis iniquitate premeretur, quanta ante ipſum meminimus ductorum bellicorum omnino neminem. Ante urbem Laudonijs cum quinquaginta Auftriacorum milibus, intra moenia captiuorum ex iisdem vnde viginti millia, in horas tumultuatura; quibus vtriſque in vrbe tam ſpatioſa Tauencinio non licebat niſi tria millia opponere, quorum et ipſorum duo millia vel transfugis conſtabant, vel ad
mili-

*) Neutrum de facie Fridericus nouerat, nec magis illius improbitate et ignauia, quam huius virtute proſus admirabili obſtupescibat, huius inquam, qui moenium praefidio, non caſtris ac praeliis deſtinatus, multo minus locum ducis aliquando habiturus, ſed exigua militaris gloriae ſpe, in paruo oppido vitam tranſaeturus ſilentio, rariſſima fortitudine magna Ruſſorum conſilia ſemel atque iterum euertit.

militiam coactis, vel denique corpore infirmis. Solis regis praetorianis tuto poterat confidere, quanquam et horum pars maxima erant extranei, quorum plerique gregarii, quum paruo stipendio inuiti mererent, non nisi ambitione ac disciplina sub signis continebantur. His talibus rebus cum saeculum nostrum, tum inprimis militares Borufforum animos, quam luculentissime licet agnoscere, de quibus si vel maxime constiterit, tamen philosophi sibi dubitandi locum et quaerendi datum, rerum gestarum vero scriptores vix fidem sibi narrantibus habitum iri, existimant. Itaque non magno militum, maximam partem feditiosorum et inutilium numero, intra moenia alterum paene iustum exercitum coërcere, extra moenia alteri resistere, idque in vrbe spatiosa, neque tamen admodum munita, tam miram rem non praestare, nisi disciplinae Borufforum militaris vis ac robur potuit. Quod si apud posteros virtutes bellicas, vel historici laudauerint, vel poëtae cecinerint, haud dubie illi disciplinae istius triumphos, Hochkirchae et Vratislaviae actos, perpetuo admirabuntur.

19. Laudonius, ad deditionem praefectum vocaturus, quum his fere argumentis vsus esset: "Non admodum munitam esse Vratislaviam, nec proinde militari more defendendam; regem cum exercitu trans Albim, Henricum, eius fratrem, haud procul Vartba esse; biddo septuaginta Russorum millia adfore; credere se, ciues Austriacum praesidium Russico antelaturus; conditiones pacti se praesidiariis omnes permissurum; quod nisi vrbs traderetur, per mortaria pyrobola quinque et quadraginta se eam incensurum:" Tauencinius ei respondit: "Satis utique munitam urbem esse; cuius quamuis domus in cineres redigantur, in moenibus tamen ac

vallo se hostes expectaturum. Itaque pyrobolis statim coepta vrbs infestari. Ibi tum praefectus tanta aduersus hostes tum internos, tum externos, sapientia atque grauitate vti, vt, quidquid ab iis tentaretur, irritum redderet. Quumque e tormentis longioribus (*Feldseblangen*), duplicato ictu instructis, praetorium Laudonii infestari posset, eum miris ille modis turbare, et globis ferreis, eius diaetam attingentibus, ad recedendum cogere. Veruntamen paucitatis suorum probe conscius, necdum speratae liberationis certus, ductores praetorianorum praecipuos conuocat, expostoque rerum suarum statu, et quam facile fieri posset, vt, vel ante regis aduentum, vrbs ferro ab hostibus expugnaretur, consilium iis aperit, si hoc accidisset, separatum aliquem in vallo locum cum praetoria cohorte occupandi, e quo ad mortem vsque se defenderent, ne singulare homines spectaculum, (sic enim vocabat), captos Friderici praetorianos ad vnum omnes, viderent. Qui quidem, non militaris gloriae magis cupiditate, quam patriae amore flagrantes, probato tam generoso consilio, vniuersi pugnando statuunt occumbere. Sed magno ipsorum commodo non opus fuit tam horrendo spectaculo, quum, accedente magnis itineribus Henrico, principe, Laudonius obsidionem solueret, quae, quum non nisi dies quinque durasset, tamen multum damni tam breui spatio dederat. Memoriae proditum est, vt notatu dignum, in ea puellam totius vrbs pulcherrimam, militem cohortis praetorianae formosissimum, et palatium vrbs magnificentissimum periisse. Etiam regis domicilium flammis exustum est.

20. Nec Vratislauriam modo, sed et Silesiam omnem Henrici aduentus seruauit, quum Russici exercitus

citus

citus primarii, iam intra prouinciae huius penetralia, ad alterum vsque a regia milliarium progressi, ductor id maxime ageret, vt Austriaco iungeretur. Sed hoc tum quidem consilium Henrici prudentia eatenus impeditum est, vt Solticouius, minime auderet Viadrum traicere. Magna et paene inaeestimabilis vtrique parti erat temporis breuitas; nam Fridericus, Vratislaviae metuens, et ipse magnis itineribus Silesiae appropinquabat. Relicto enim in Saxonia cum satis numerosa manu Hulsenio, inspectante primario illo Austriacorum exercitu, omnes fluuios interfluentes, Albim, Spream, Queissium et Boberam, traiecerat. Quin inter Lascii ac Ridefelii manus duas, medius transferat, ante se cum alia manu Beckium, post se maiorem Austriacorum exercitum habens. Et quanquam duo curruum millia, cibariis onusta secum ducebat, ac solutos vbique fluminum pontes repererat; tamen quinque dierum spatio viginti milliaria Germanica emensus, cum suis, incolumis Silesiae fines attigit. Eius vestigia perpetuo secutus Daunius, euitatis sollicite praeliorum occasionibus, tandem, vt regis cum fratre coniunctionem impediret, cum Laudonii exercitu suum iungit. Quo facto simul in Silesia versabantur Austriacorum centum, Russorum septuaginta quinque, Borufforum denique octoginta millia; quot exercitus ea prouincia nondum sane viderat. Fridericus ac Daunius alter alterius lateri comes adhaerebant, quos non nisi Catebachius, (*Katzbach*) riuus, feiungeret.

21. His Austriacorum motibus, nimia sane cautione factis, indignabantur Russi, qui trans Viadrum, haud procul Vratislavia erant, rati, quem Austriaci a transitu Albis, Spreae, ac Boberae non prohibuissent,

eundem nec a Viadri traiectu prohibituos, quo facto facile ei fore, adiuncto Henrici fratris exercitu, summo virium impetu Russos adoriri. *”Non nisi solita sibi belli fraude aliqua et magno itinere Friderico opus est, (ita Solticouius, summus dux, aiebat) ut hoc efficiat.”* Idem, si regi transitus Viadri liber concessus esset, statim cum exercitu se in Poloniam rediturum, diserte simul minabatur.

22. Qua comminatione coactus Daunius, ut regem moraretur, tandem praelio contendere statuit, et a. d. XVII. Cal. Sept. castra Borufforum ad Lignitium ultro inuadere. Quae quum posita essent paulo iniquius, non erat sane spernendum consilium, prima statim luce quatuor simul locis aggrediendi Fridericum, ac pari, ut apud Hochkircham, clade, si fieri posset, affligendi. Quo quidem, pridie rei gerendae, vespertino tempore, casu quodam sibi rex nunciato, statim aliud e vestigio consilium capit. Relictis enim, ingruente nocte, castris, quorum interim ignes alere iussi rustici, occupatis prope Lignitium collibus, magno silentio aciem instruit. Diluculo appetente accedens Laudonius, et cum triginta millibus, sinistram Borufforum alam in ipsis castris inuasurus cum maxime, a qua paulo longius se adhuc abesse putat; magna cum admiratione, se in vniuersum regis exercitum incidisse animaduertit, cuius posterior acies in ipsum irrueret; nam priorem, Daunii, dextrae alae suae oppositi, motus obseruare Fridericus iusserat. *) Laudonius itaque, summi

*) Mirum est, quod rex ipse in suis de hoc bello Commentariis addit, in hac pugna ventum adeo aduersum Austriacis fuisse, ut Daunius et Lascius, qui sinistrum exercitus

summi imperatoris sui fretus subsidiis, non detrectare pugnam, sed, vltro se certamini obilciens militum virtuti non minus, quam fortunae, quae toties ei arriserat, euentum committere. Hinc equitatum suum immittit Borussico; quo per hunc statim reiecto, pedes Borussicus irruens, Austriacum et ipsum loco depellit. Nec iam auxilii spes vlla, quum, propter loci iniquitatem, Daunius aciem Borussorum priorem, quae eum iam expectabat, non sine maximis aggredi incommodis posset; idque facere aliquoties conatus, re infecta pedem retulisset. Ergo et Laudonius, nihil non ausus, ac de vita adeo valde periclitatus, pariter iam pedem referens, victoriam regi, cum tormentis octoginta duobus, ac sex captiuorum millibus, relinquit, caesis ac vulneratis Austriacorum duobus millibus et quingentis. Borussi ex vtroque genere mille centum octoginta sex desiderabant.

23. Dies erat aestiuus; caelum serenissimum. Sol pugnae locum, vndantem sanguine, refertum mortuis ac moribundis, sed eundem alia scena, haud paulo iucundiori ac blandiori, conspicuum illustrabat. In praelium ierat chiliae Bernburgica, quam ignominia magna in obsidione Dresdae notatam supra diximus, ita affectis omnium animis, vt vel amissam dignitatem recuperarent, vel ad vnum omnes occumberent. Quae sententia, nullo ordinis vel aetatis discrimine, omnium

M 4

menti-

exercitus cornu ducebant, et vix horae intervallo a pugnae loco aberant, ne ducentorum quidem tormentorum, vtrinque explosorum, fragores audirent. Vid. *Friderici Magni Opp. T. IV. pag. 93. 94.* (ed. Germ. Berolin. 1788. 8.) *Nota interpretis.*

mentibus infixæ, radices altas quum egisset, nutrita a ductoribus ordinum, luctu paene confectis, admirandæ prorsus virtutis fructum edidit, Borussici nominis gloria dignissimum. Neque vero regis oculos fefellerat. Quo, peracta caede, chiliadem præteruecto, quum tacite stabant ductores, fixis ad terram oculis, iudicium ab eius iustitia expectantes; prodeuntes ecce veterani quatuor, habentis equi inhibitis, supplices genua regis amplexi, atque officium se pro viribus fecisse, Deum testati, pristinum sibi fauorem reddi ab ipso petunt. Quibus rex, commotus ille adspectu supplicantium: "*Recte, inquit, o mei: redditus vobis est; quidquid ante admisistis, e memoria excidit!*" Eodem die reddita singulis, quæ adempta fuerant, arma cum ornamentis; et ipse Fridericus, quum tesserae (*Parole*) distribuebantur, tum virtutem Bernburgicorum insignem, tum veniam iis a se datam, exercitui vniuerso exposuit.

24. Duas omnino horas praelium istud absumerat. Nam ipsa hora matutina quinta, quo tempore omnem late Europam habitantium pars elegantior altissimo adhuc sopita iacere somno, plebs operi intenta lecto surgere cum maxime solent, iusta hic iam pugna pugnata, victoria insignis reportata, Russorum cum Austriacis impedita coniunctio, denique quidquid in vrbes Silesiæ munitas consilii vtrique inter se contulerant, omne prorsus disturbatum fuerat. E vestigio enim significata tormentorum ac sclopetorum per omnem exercitum sonis victoria, Fridericus cum suis mouit, illo ipso adhuc die, ad tria vsque milliaria, socia cum Henrico fratre arma iuncturus. Ac Russis iam trans Viadrum reuersis, via Vratislauriam versus Borussis patebat. Nec vnquam inde a longo tempore rex laetior fuerat, fortuna belli,

belli, tamdiu ab eo auersa, ferenum rursus vultum monstrante. Nam velut in transcurfu vicerat, idque eodem loco, quo a. C. MCCXLI, ingens inter Christianos ac Tataros praelium commissum est. Quo tunc animo fuerit, ex litteris apparet, paucis post diebus ad Argentium, (*d'Argens*) Marchionem, ab ipso datis, hoc exemplo :

25. " *Quod alio tempore plurimum ad belli sum-*
 " *nam momenti facturum erat, Lignitiense praelium,*
 " *a. d. XVII. Cal. Sept. commissum, mi Marchio,*
 " *nunc quidem non nisi paruae digladiationis instar ha-*
 " *buit, quum ad decernendum ingenti laniena opus vi-*
 " *deatur. Quae si mox, ut verisimile est, acciderit, ac*
 " *prosperum nobis exitum habuerit, tum demum impense*
 " *gaudebimus. Nunc tibi gratias ago, quod tam stu-*
 " *diose in laetitiae societatem mecum venire tibi placuit;*
 " *qua ut frui tandem possem, haud paucis ante artibus*
 " *opus fuit. De periculo meo non est, quod tam multa*
 " *verba facias, quum ista mihi pugna non nisi una veste*
 " *et uno equo constiterit; quod sane est, paruo victo-*
 " *riam redimere. Quas Tu ad me litteras te ais de-*
 " *disse, eas non accepi. Interrupta enim sunt litterarum*
 " *inter nos commercia, Russis ulteriores, Austriacis ci-*
 " *teriores Viadri ripas tenentibus. Atque adeo, ut*
 " *Cocceius, optio meus, tuto ad te venire posset, parua*
 " *velitatione opus erat, quem tibi meas, spero, litteras*
 " *recte reddidisse. Nunquam profecto iniquiore, quam*
 " *boc ipso anno, conditione equidem fui. Ac miracula,*
 " *(mibi crede) eueniant, necesse est, ut, quas adhuc dif-*
 " *ficultates praeuideo, eae omnes superentur. Equidem,*
 " *me, certo scio, facturum, quod meum est; sed tu me-*
 " *mineris, quaeso, Marchio dilectissime, me fortunae*
 M 5 impc-

"imperare non posse, sed, in exsequendis consiliis cogi
 "saepius incerto casu confidere, qui certis eorum exse-
 "quendorum praesidiis destituar. Mibi quidem exant-
 "landi restant labores vere Herculei, hique ea aetate,
 "quae vires corpori subtrahendo, huius infirmitates au-
 "get; ac, ne quid dissimulem, spes iam ipsa, vnum
 "alias miserorum solatium, deficere me coepit. Neque
 "vero tu faciem rerum satis nosti, ut periculorum, rei-
 "publicae minantium, magnitudinem distincte perspicias.
 "Ego, qui id possum, alios celo, retentisque mihi soli
 "curis, non nisi spes, aut pauca illa paucis laetiora
 "cum aliis communico, quae mihi contingunt. Quod si,
 "quem meditor cum maxime, licuerit ictum inferre ho-
 "stibus, tum demum laetitiae indulgere tempestiuum fue-
 "rit. Equidem hic Carthusiani monachi, sed bellantis,
 "vitam ago. Et quanquam rerum mearum cura satis
 "animum occupat; tamen, quidquid superest temporis,
 "elegantiatribus litteris consecro, non minus nunc meum,
 "quam eius olim consulis animum consolantibus, qui
 "utrique, et patriae, et eloquentiae, pater fuit. Vtrum
 "superstes huic tanto bello futurus sim, sane nescio;
 "si tamen fuero, certum est, in secessu, et philosophiae
 "amicorumque contubernio, quidquid vitae restat, trans-
 "igere. Nec magis illud scio, ubi hyberna acturi simus.
 "Mea quidem domus Vratislaviensis nuper pyrobolis in-
 "censa conflagrauit. Sed quanquam nobis hostes diur-
 "nam adeo lucem, et aërem, quem spiritu ducimus, in-
 "vident; locum tamen in hoc terrarum orbe cogentur
 "relinquere; qui si modo tutus fuerit, te ibi a me vi-
 "sum iri, cum gaudio spero. Quid de pace inter
 "Francogallos et Britannos futurum putas? Vides ni-
 "mirum, mi Marchio, paulo maiorem popularium tuo-
 "rum caecitatem esse, quam tu putaras; qui, ut Hun-
 gariae

"*gariae reginae, et Rufforum Auguftae gratificentur,*
 " *Canada ac Pondicherio mulctari fe fufineant. Utinam*
 " *his eorum ftudiis Ferdinandus, princeps, digna prae-*
 " *mia perfoluat!*"

26. Dum haec geruntur, Dux Virtembergensis, qui rerum potitur, non modo miffo ad exercitum Germanicum milite, verum vltcrius quoque, feaparata, quam ipfe duceret, manu, pars belli futurus, cum duodecim fuorum millibus Saxoniam ingreffus, Germanico illi exercitui fe coniunxerat. Tanta igitur hoftium ingruente multitudine Hülfenius, relictis ad Mifenam castris, alia ad Strehlam, eaque munitiora pofuit. In quibus eum vndique adorti a. d. XV. Cal. Aug. hoftes, quum loco pellere minime potuiffent, acri pugna ab eo victi, etiam mille trecentos captos reliquerunt. Quo facto Hülfenius, vt horrea fua ab hoſte defenderet, Torgauiam profectus, munitis ibi caſtris, per ſex hebdomades locum tuebatur.

27. Ergo in Saxonia iam non minus, quam in Sileſia, Borufforum arma victricia, cernebantur. Neque tamen tantum praeualuerant hoſtibus, vt hi, praefertim in tanta fua frequentia, omnibus continuandi belli ac vexandi tam formidoloſi aduerſarii praefidiis plane deftituerentur. Coactus fane per artificioſos exercitus regii motus fuerat Daunius, ſtatim a praelio Lignitienſi, montana petere, ne Bohemia intercluderetur; Solticouium quoque, desperantem iam profus de fuorum cum Auftriacis coniunctioe, Golcius, Borufforum belli dux, caſtris ad Glogauiam poſitis, cum delecta manu obſeruabat. Veruntamen in Pomerania interim otioſi Ruſſi minime fuerant. Horum enim claſſe, ad oram illius prouinciae delata, Colberga iam a viginti ſeptem
 partim

partim Rufforum, partim Suecorum, nauibus bellicis, celocibus item ac pyrobolariis, nec non a quindecim terrestrium copiarum millibus, iusta obsidione cingebatur, quae tamen non felicius, quam prior, successit. Iterum enim Heydenius virtute summa tamdiu hostibus restitit, donec Vernerus, belli dux, e Silesia ad urbem liberandam accederet. Qui cum sex militum millibus, duodecim dierum spatio, quadraginta milliaria Germanica emensus, vix dum a. d. XIV. Cal. Oct. prope Colbergam aduenerat, quum stricto statim gladio Ruffos adortus est. Qui quidem, exercituum Borussicorum, tanto ab ipsis locorum interuallo distitorum absentia freti, quum ne per somnium quidem, liberationem vrbi contingere posse, cogitarent; facile patet, quomodo parua Veneri manus tantum iis terrorem obiecerit, vt non tantum obsidionem statim soluerent, sed et maxima cum festinatione fugam capefferent. Idem, vt aduentantem Borussum euaderent commodius, tormenta, apparatus bellicum, tentoria, pabulum, impedimenta, quin com meatum necessarium iis diripiendum permittebant. Pars quoque ad naues confugerat, caeteris terra sese proripientibus. Paucis post diebus classis quoque ipsa euanuerat. Cuius facti notatu dignissimi memoria, non modo cuso numismate, impressis Ouidii verbis: RES SIMILIS FICTAE, conseruata, verum etiam a Ramlero, poëta egregio, patriae vrbs liberatio excellenti carmine decantata fuit.

28. Vernerus, peracto facinore tam splendido digressis, quos vinceret, Ruffis, iam conuerso itinere Suecos, in suburbio Pafenalciensi subito aggressus, septem inde tormenta cum sexcentis captiuis abstulit.

29. Exacta iam aestate, appropinquantibus asperioris anni mensibus, non Austriaci magis, quam Russi, hyberna meditabantur. Sed quoniam utrosque mordebat, quod per totius paene anni expeditionem, cum tot tantisque exercitibus, nihil plane effecissent, subnatum hinc erat iis Berolini inuadendi consilium. Itaque viginti Russorum, et quatuordecim Austriacorum millia, Czernicesio ac Lascio ducibus, Solticouium eminus cum vniuerso maiori exercitu, in omnes casus praesto futurum habentes, iter in Marchiam ingrediuntur, ducente primum agmen Tottlebio, Comite, Russorum belli duce, natione Germano, qui ipse diu olim Berolini vixerat. Hic tanta festinatione iter facit, ut a. d. V. Non. Oct. ipso sexto post die, quam Beuthena in Silesia erat profectus, cum tribus suorum millibus ante vrbis portas conspiceretur.

30. Ingens haec regia, sine vallo ac moenibus, nec nisi mille ducentos tum habens praesidiarios, et si defendi nulla ratione videbatur posse, tamen Rochouius, belli dux, vrbis praefectus, quem eundem ante biennium Austriaci ibidem infestant, a compluribus viris venerandis, nominatim Lehualdio, summo belli duce, Seydlitio, vulnerato, et Knoblocio, Berolini tum versantibus, defensionem parare iussus est, quum ne hi ipsi quidem, patriae caritate impulsus, munimenta quaedam in moenibus tueri aduersus hostem detrectarent. Itaque postquam hi dedere se recusarant, eodem adhuc die, quo hostes aduenerant, ignitis globulis et pyrobolis tormentariis infestari vrbs coepta, ac sequenti nocte in duas portas impetus facti. Sed non minus flammae, variis locis erumpentes, mox extinctae, quam hostes portis depulsi. Nam ducum, gloria bellica florantissimi-

rentissimorum, qui, summae dignitatis obliti, inferiorum ductorum vices agebant, praeclaro exemplo, et singulorum militum animi firmati, et numeri deficientes expleti, ita quidem, ut Russi ab impetu desisterent. Postridie quum Eugenius, princeps Wirtembergensis, cum quinque suorum millibus, confectis vna die novem miliaribus, urbi auxilio, aduenisset, vix refecto ab itinere milite, Tottlebium adortus, Copenicium vsque reiecit. Sed apparebat nunc ab alia parte manus Czernicheffii; quem et ipsum, sine pugna iamiam recessurum, Montalemberti Francogallorum legati, eloquentia retinuit. Ergo copiis admodum aucto Tottlebio, ideoque propius iterum accedente, coguntur Borussi, numero impares cedere. Interim Hülsenio quoque cum suis e Saxonia Berolinum profecto, poterat iam ante portas regiae hostis expectari. Quod si per aliquot modo dies factum esset, salua haud dubie urbs fuisset. Nam e Silesia magnis gradibus militem adducebat Fridericus, decretumque, iam ante occupatam urbem, in consilio hostium bellico, fuerat, Austriacos pariter ac Russos e Marchia abducere. Sed ductores Borufforum, nimium aufuros se rati, si mansissent, quod exercitum Russorum primarium, iam Francofordiam vsque progressum, ac iam Paninium, eorum ducem, cum septem chiliadibus ad iungenda cum Czernicheffio arma in viam se dedisse, compererant; vtraque Borufforum manus, recens adducta, Spandauiam relicto forti suae Berolino, petiere.

31. Sed minor, quam pro expectatione, huius fortis acerbitas tum quidem fuit. Nam latis vtrinque sine mora acceptisque conditionibus, dedita urbs Tottlebio; qui, repertis adhuc ibi amicorum veterum non paucis

paucis, memor ineuntis aetatis, cum summa iucunditate ibidem exactae, quum e folius arbitrio penderet, vt irreparabile Borufforum regi damnum inferret, eatum contra lenitate regiam tractauit, quae a consueta Russorum immanitate mira quadam diuersitate eluceret. Nam Berolinum, verissima aetatis nostrae Palmyra, qua in vrbe operum architecturae magnificentissimorum ingens multitudo, ex arenarum tunulis surgens, plateas conficit longissimas, quin tum refertissima omnis generis arte factorum per Germaniam officina, eademque armentariorum Borufficorum veluti centrum fuerit, dubitari non potest. Erat enim ibi immensus omnium bello necessariorum apparatus, cui vel augendo, vel explendo, multa quotidie hominum millia per officinas passim infudabant. Nec alias vnquam magis commercia constat viguisse. Erant mercatores, qui, siue opum magnitudinem, siue crescentis indies fidei ambitum, siue denique negotiorum amplitudinem spectes, summis quibusque Europae aequari possent. Oemkius certe, mercator, ex pacto quotannis quadringena librarum (*Mark*) argenti puri millia, monetae tradebat. Gocecouius, (*Gotzkowsky*) et ipse mercator, cum rege de suppeditando com meatu pactus, cuius pretium erat septuagies centena, et quingenta imperialium millia, (7,500,000 *Thaler*) paulo post vicies centena (2,000,000) exactae a Lipsiensibus, belli causa, pecuniae, repraesentabat. Eodem bello Splittegerberis, qui praeter alia mercium genera plurima, armorum fabricam habebant, vno aliquando die rex e thesauro, pro telis et armis, quadragies centena imperialium millia, (4,000,000) numerari iussit. Vegelinum (*Wegelin*) quidem mercatorem, arte factorum apparatu nemo per Europam priuatus superauit. Ephraimo denique et Itzigio, Iudaicis,

mone-

monetae redemptoribus, tantum ex illa reipublicae veluti vena lucri profluxerat, ut pro arbitrio rem argentariam per potiora emporia regerent, omniumque nationis suae ditissimi redderentur.

32. Haec Berolini facies erat, quo tempore Tottlebius ea potiebatur. Idem hunc victoris et quasi praefecti locum etiam tueri perrexit, postquam adueniens Lascius haud sine indignatione hanc Rufforum lenitatem animaduerterat. Cogebatur ille tum simulare ac dissimulare per vices; palam minari et execrari horrendum in modum; clam benignitatem, verbis declaratam, factis ipsis praestare. Nam quidquid a Frederici hostibus, in ipsa eius regia, sine modo ac mensura vlla postulabatur, barbaricam euertendi licentiam spirabat. Inter alia armamentarium, aedificium e terrarum orbis magnificentissimis, et recentioris architecturae specimen primum, puluere pyrio disicere illi decreuerant; quae res horrendos haud dubie effectus fuerat habitura; quum domus constaret saxi ac caementis ingentibus, et iaceret in medio frequentissimarum urbis viarum, palatiorumque Germaniae splendidissimorum, nec non regio palatio esset quam proxima. Consenferat tandem inuitus Tottlebius, ut quinquaginta Russi emissi puluerem pyrium, ei rei destinatum, ex officina quadam, non procul ab vrbe sita, afferrent. Hi, tali ministerio nec apti, nec adfueti, dum incautius ad horreum pulueris pyrii accedunt; materia ignem concipiente, ad vnum omnes disiecti et in aërem expulsi pereunt. Eo casu seruatum armamentarium, quum pulueris pyrii iam facta esset penuria.

33. Sic, quum scidarum Berolinensium scriptores de Rufforum immanitate paulo durius scripissent;
hostes-

hostesque, poenae loco, virgis, veluti milites, caedi eos voluissent, aliquot virorum illustrium interuentu, poena haec remissa est.

34. Ex pacto deinde praesidium vrbis parum numerosum hostibus deditum, in quo erat etiam dimidia cohors tironum militiae nobilium (*Cadettencorps*) quorum adolescentum, qui fuerant aetate prouectiores ac proceriores, his amotis, pueros modo nouem, decem, et vndecim annorum prudenter Borussi reliquerant; quibus ipsam pueritiam subsidio apud hostes fore, rati, ne verbo quidem in pacto, (quod solos praesidarios nominabat) de iis mentionem fecerant. Tamen hi pueri simul abacti; pedibus iter coacti facere, et sub dio cubare, ne pane quidem accepto. Plorantibus igitur, ac, ne fame sibi pereundum esset, obsecrantibus, viuus veruex oblatus est. Verum et hic, (vt ille ait,) ingenii largitor venter erat scilicet. Ea enim aetate, qua homines, rerum omnium incuriosi, vix ciborum nomina didicerunt, hi, non adolescentes, aut ephebi, sed paene pueri, bestiam ipsi maetare et apparare ad vescendum cogebantur. Sed quum exigua eorum cura haberetur, ac panes, paene stipis in modum, iis distribuerentur, multi, exhaustis per continuas molestias corporum viribus, vitam amiserunt.

35. Caeterum Berolinenses, decies quinquies centena imperialium millia (1500,000) exactae pecuniae, ducenta autem donatiui, Russis et Austriacis offerendi, nomine coacti soluere. Et quanquam pacto constitutum fuerat, ne quis militum intra vrbem collocaretur; hanc tamen legem minime curans Lascius, inuitis adeo Russis, per vim suas aliquot chiliades in vrbe distribuit. Quo semel facto incredibiles petulantiae effectus consecuti.

Neque enim contenti cibo ac potu milites, pecuniam, pretiosa quæque, vestes, et quidquid manibus asportatur, ab incolis extorquebant. Vnde illa regia subito communis quaedam area facta est Cofaccorum, Croatarum, equitum Hungaricorum, media luce, per plateas ac domos discursantium, praedantium, denique homines verberantium ac vulnerantium. Quisquis vesperi foras ausus erat egredi, nudabatur vestibus. Ducentae octoginta duae domus per vim effractae et exinanitae. Ac multo faeuiores Russis ea in re Austriaci se praebuere. Neque enim vllas pacti conditiones admittendo, sed vnum gentis odium sequendo, praedaeque inhiando, furentium more, stabulis regiis, ex pacto minime attingendis, quae insuper a quatuor ac viginti Russorum excubitoribus defendebantur, sese per vim ingerebant. Inde primum equi abstracti, rhedae regis ornatu omni spoliatae, deinde in partes disiectae, Suerini, stabularii regii, domicilium direptum: nosocomia adeo publica, aegrotantium et egenorum perfugia, ab ipsis barbaris tuta futura, eandem fortem experta: signum praedae vbiq; datum; ne templa quidem intacta mansere; sed aedis, quam vocant, Hierosolymitanae sacrario effracto, vasa sacra cum aerario ablata; quin sepulchris adeo apertis, putrescentia cadauera vestibus spoliata.

36. Ac veluti lues quaedam haec praedandi feritas omnes inuaserat. Ipsi adeo milites Saxonici, nullis Europae aliis morum suauitate alioqui cedentes, disciplina autem militari Borussos fere aequantes, sui tum dissimiles prorsus fuere. Versabantur Charlottaeburgi, vico, vno a regia lapide distito, et palatii regii magnificentissimi causa, nobilitato. Ibi obliti Borussiae regem haud dubie Saxoniam mox repetiturum, et grauissime
petulaa-

petulantiam istam vlturum, magno furore palatium ad-
orti, quidquid oculis obiiceretur, euertere; frangere
supellectilem pretiosissimam, specula vitrea cum vasis
porcellanis comminuere, tapetes discernere, pictas ima-
gines cultris discindere, pauimenta, parietes, et forium
valuas, securibus diffringere. Multas res pretiosas,
quas non euertissent, auferre; quas ordinum ductores,
vti praedam sibi debitam, seponerent. Sacellum adeo
palatii exspoliare, et organum pneumaticum frangere.
Operi autem veluti colophon, Fridericum vehementif-
sime omnium exacerbaturus, additus hic, quod artis
opera, raritate ac pretio inagnam partem inaeestimabili,
Graecis manibus elaborata, Romanis collecta, euerter-
rant. Haec enim antiquitatis cimelia, ex Polignacii,
purpurati, museo a Friderico coemta, iam nec tempo-
ris edacitate consumta, nec fera barbarorum inscitia
corrupta, sed a militibus gentis cultissimae, in qua ipsa
artes illae vigerent maxime, euerfa studiose licebat cer-
nere; statuarum capitibus, brachiis, ac pedibus non con-
fractis modo, verum etiam contritis, vt ne reficiendi
quidem vnquam spes relinqueretur. Neque vero, qui
simul aderant, Austriaci ac Russi, otiosos eius negotii
spectatores agere, quod ipsi ordinum ductores, nisi lau-
dando probarent, silendo certe non impedirent. Inco-
lae Charlottaeburgenses, numerata quindecim imperia-
lium millium summa, securitatem se rati redemisse, spe
sua valde deceptos se fuisse, experti. Domus omnes
expilatae; quidquid auferri non posset, in partes discer-
ptum. Mares loris caesi, vt sanguis efflueret, et ensi-
bus vulnerati, matronae autem cum puellis vi constu-
pratae. E viris quidem, tanta libidine vulneratis, duo
jn conspectu carnificum suorum, expirarunt.

37. Haud alia fors fuit Callioeci, (*Schoenbaufen*) quae reginae villa est. Huc ingressi octo velites Russici, ingentibus minis, vasa reginae argentea sibi dari iubent. Ablata esse, qui aderant, dicentibus, exploratum vndique palatium: non repertis, nudatus vestibus arcis custos cum vxore, virgis caesi, et candenti ferro lacerati. Post aliquot dies plures cateruae adueniunt; pariter, vt Charlottaeburgi, insaniunt; omnia diffringunt et euertunt. Famulorum regionum aliquem ardentibus prunis imponunt; alium ense trucidant, feminis ad belluinam libidinem satiandam abutuntur.

38. Nec minus iam hinc Russis, quam Austriacis dulcia de hybernis, per Marchiam agendis, somnia; vtrisque videlicet, prope belli finem abesse, existimantibus. Vtrorumque enim fatis magni exercitus in ipsis terrarum Friderici penetralibus tum versabantur, vnde reliquas omnes prouincias inundarent. Sueci rursus castra mouere propius; exercitus principum Germaniae Saxonia et Albi flumine potitus; Laudonius imminere Silesiae; Daunius denique, ingentibus copiis lateri regis perpetuus veluti comes, adiungi.

39. Verum non nisi paucos dies haec triumphum vana species et vmbra perstitit. Nam Friderico, e Silesia, torrentis in morem, ingruente, omnis repente veluti scena simul mutata est, vna illa voce: *Venit rex!* tanquam ictu fulminis, omnes hostium percellente exercitus, et ad propere mouendum impellente. Russicus certe ille maior quam celerrime Viadrum rursus traicere; Austriaci cum Russis reliquis regiam relinquere; Czernichesius cum Tottlebio tam citatis gradibus regredi, vt biduo iam vltra duodecim milliaria Berolino abesset

abessent; Lascius denique cum suis in Saxoniam properare, vt exercitui Dauniano sese adiungeret.

40. Sed tamen hunc quoque abitum, qui spes eorum attenuabat, summa singuli crudelitate insigniebant, quum deuastare omnia, (quod ante non tam probantibus, quam conuiuentibus ducibus fecerant) nunc quidem palam ac diserte iuberentur. In quascunque vrbes vel oppida Marchiae hi barbari venissent, Copenicum, Fürsteualda, Bescouia, Landsberga, Oraniburgum, Lübenualda, Fridericifelda, Marchionis villa, direptae omnes aut deuastatae, vt a portis inde Berolinensibus ad Poloniae vsque, Silesiae, et Saxoniae fines mira quaedam ac perpetua vastitas et solitudini planities longe esset simillima. Nihil pecorum incolis miseris relictum; nihil supellectilium; non lectus, non alimenta vlla; frumenti denique, quidquid auferri ab hoste non potuerat, vel in coenum proiectum, vel in ventos dissipatum.

41. Francofordia, tam saepe licet a Russis infestata, ne tum quidem eorum saeuitiam effugit. Minabantur, se urbem incensuros, ac magnos iam ignes in foro fecerant. Consulum alter virgis caesus; aliis magistratibus similis denunciata saeuitia, incolae denique canum omnino more tractati. Hac via extortum ipsis, quidquid Russi appetierant. Quantumcunque enim ciuitas misera potuerat conquirere, collectum et barbaro hosti traditum. Accesserat his incolarum malis, propter ipsum vrbis situm, aspectus alienae miseriae, qua patria circumiacens affligebatur. Transibant per urbem supra centum partim bouum, partim equorum aliunde abactorum millia; cum praeda innumerabili. Rapinis, caedibus, violentis stupris, omnia late circa resonare:

vici mera libidine incendi; rustici, ciues, nobiles, horrendum in modum verberari, eorumque vxores cum filiabus, nullo aetatis atque ordinis discrimine, ipsis videntibus, violenter constuprari. Ac veluti certare tum inter se Friderici hostes visi, quinam caeteros immanitate vincerent? Nam et Aufriaci, Lascio duce, indomita pariter libidine vtebantur, ac ne sepulchris quidem abeuntes parcebant. Vilmersdorfii quidem, vico gentis Sueriniorum, dynastae sepulchro effracto, cadauera omnia, quorum nonnulla a multis inde annis vermes paucrant, e loculis reuulsa, nudata et in agros proiecta. Atque haec talia, tam infanda, apud populos incultos, alioquin infrequentia, quin ipsis Iroquensibus ignota, a scriptoribus rerum gestarum, quia belli huius et bellantium indolem ex parte produnt, minime dissimulanda, sed omnino ad omnis posteritatis memoriam prodenda sunt.

42. Ex omnibus domibus regis nulla intacta mansit, praeter villam *Αυσιαέριμον*, (*Sansfouci*) et palatium Postampienſe, quam occuparat Esterhassius, Aufriacorum belli dux, solus ille gentis Aufriacae hac in re famae consulens. Non enim tantum feuerissima suos ille disciplina continebat, verum etiam collectos ibi artis, elegantiae, et magnificentiae thesauros cum admiratione contemplatus, ita tuebatur, vt ne digito quidem eorum quidquam attingere militi liceret.

43. Quibus de rebus omnibus Rex, cum exercitu ad fines Saxoniae profectus cum maxime, fit per suos certior. Cui quum nihil ex iis accideret, Charlottae-burgi deuastatione, acerbius, aequitatem animi philosophicam vicit tandem irritata per tantos furores humanitas. Et qui per totum belli decursum, nulli Sa-

xoniae

xoniae palatio regio vim ullam a suis inferri permiserat, immo magna cum diligentia seruanda cuncta a militibus curarat, is iam St. Huberti, villam venatoriam (*Jagdſchloß Hubertsburg*) diripi confestim per Quinti Icilli volonum cohortem iubet. Quo hi mandato paucis horis tanta diligentia defungebantur, vt praeter muros nihil restaret amplius. Nec tam hoc viciscendi genus ipsum, quam eorum, qui causam ei praebuerant, temeritas, aulam Saxoniam offendit; cui, illam posthaec exprobranti, ordinum ductores excusationem aliam, nisi indomitum suorum furorem proferre non poterant.

44. Sub Friderici in Saxonia aduentum Germanorum principum copiae prope Lipsiam castra habebant, quam in urbem, omnibus vitae deliciis et commodis in paucis Germaniae affluentissimam, omnes exercitus, cum maiores, tum minores, animum intenderant ita, vt non focii magis, quam hostes, eius possessionem ambirent. Cuius quum munimenta mediocria non nisi expeditum hostem arcere, nec nisi, iusto exercitu, extrinsecus adiuncto, defendi possent; diuitiae tamen, quae ei pro munimentis erant, varios conatus et consilia alliciebant; vnde nulla per totum bellum vrbs dominos mutauit frequentius. Tum quidem quum copiae Germanicae serio de agendis ibi hybernis cogitarent, incolae, pertaesi praesertim exactionum Borussiae, quae vario indies obtentu multiplicarentur, omnibus votis hanc permutationem exoptabant. At Fridericus, cuius votorum haec velut aurifodina nunquam non pars fuerat, vix peruenerat in Saxoniam, quum ecce! Hulsenum recta via Lipsiam emitit. Quo appropinquante, exercitus Germanicus quam

citissime fugam cepellit, vrbs sine fanguine a Boruffis recuperatur.

45. Sed Daunius tamen Saxoniam vtique retinere quocunque modo statuerat. Praeterquam enim, quod Dresdam, regionis caput, eandemque et maximam et munitissimam adhuc tenebat, omnes paene imperii Austriaci vires in prouincia, tanti ad omnē bellum reliquum momenti futura, collectae aderant, etiam hyemem appetente, finita huius anni expeditio videbatur. At Fridericus quum nec ipse minus firmiter, retinendam sibi Saxoniam, statuisset; magno sane praelio opus erat, cui paratissimum sane hic se ostendit. Daunius contra, etsi viribus ac numero longe superior, nihil in casum dare ausus, ac defendendo, quod volebat, se consecuturum ratus, munitissima illa prope Torgauiam castra ingressus est, in quibus agentem, superiori anno, Henricum, regis fratrem, ne ipse quidem ausus fuerat aggredi. Rex igitur, amissa aduersarii ad proelium inducendi spe omni, audacissimum, nulla difficultatum quarumuis habita ratione, Austriacorum castra per vim inuadendi consilium capit; quod etiam post. Cal. Nov. vesperi per totum exercitum edici, et necessaria quaeque ad sequentis diei pugnam parari iubet.

46. Illuxit ergo a. d. III. Non. Nov. dies illa, in annalibus bellorum notatu dignissima, qua, fluentibus sanguinis humani riuis, de amborum exercituum, toties triumphantium, interitu diu disceptatum quum esset, anceps primum victoria, tandem sub mediam noctis caliginem a Boruffis per vim hosti extorta est.

47. Rex suos tripertito per fyluam Torgauensem adducebat, horrendam pugnae formam atque imaginem

ginem animo complexus. Non enim fugam modo hostilis exercitus, sed interitum absolutissimum spectabat, ita quidem parandum, ut Albi transitu prohibiti, quotquot victi essent, aut fugissent, vel ferro caderent, vel flumine mergerentur, vel denique arma traderent. Vtramque igitur Austriacorum alam, seu potius illius dimidiae lunae, (cuius figuram Daunii exercitus referebat) extrema cornua, eodem simul tempore, aggressurus erat, et ad pugnae centrum reiecturus. Hunc in finem emissus cum dimidio exercitu Borussico Zithenius, belli dux, ut colles Siptitienses, haud procul Torgauia sitos, occuparet. Quod si cum caeteris Fridericus Daunium vicisset, actum erat de vniuerso huius exercitu, deletae per reliquum omne bellum Mariae Theresiae opes ac Torgauiae nomen, non secus, atque Cannarum olim, poetis ac rerum gestarum scriptoribus immortale omnino futurum.

48. Sed antequam haec possent omnia effici, ingentibus cum difficultatibus conflictandum erat. Scilicet Daunius, cum lectissimo copiarum robore, loco opportunissimo constitutus; sinistrum cornu Albi flumine, dextrum collibus satis defensum, et magnis tormentorum aggeribus instructum; frons denique syluis tuta ac paludibus. Fridericus per syluam incedens cum agmine, in chiliadem Austriacam equitum desulteriorum Ignonii (*St. Ignon*) incidit, quae seorsim a caeteris profecta, praeter opinionem, regii exercitus ordines ingressos interruperat. Statim itaque syluae exitus omnes per pedites occupati, interea, dum equitatus chiliadem totam undique cingeret; quod negotium Zithenii maxime velites, iniunctum sibi, summa cum fortitudine confecerat. Quicumque enim equitum caesi ab iis non fuerant, cum

ipso duce capti. Rex interim, continuato itinere, dextram hostium alam ambit, et, quanquam absentibus adhuc suorum multis, tamen cum primo statim agmine, h. e. decem cristatorum cohortibus, exercitum Austriacum inuadit. Quae quidem audacia erat excusatio, quod, auditis procul tormentorum fragoribus, Zithenium credebat, cum hoste manum iam conferere. Praeterea nunquam adhuc grauioris ad belli summam momenti fuerant ei partes temporis vel minutissimae; quum esset iam hora diei post meridiem altera; paucae ad obscuram noctem restarent, haec autem ipsae ad discernendum de Friderici, fortasse vniuersi nominis ac rei Borussicae forte, essent destinatae.

49. Ac Daunius quidem Borussos tanta e tormentis globorum grandine excepit, quantam ab inuento inde pyrio puluere, haud dubie nemo vnquam in hoc terrarum orbe viderat. Ducenta enim tormenta, ad idem veluti punctum directa, quorum fauces sine intermissione perniciem hominum eructarent, et velut Orci, praedam sibi debitam hausturi cum maxime, imaginem referrent *) Nec veteranorum vtriusque exercitus, vel maxime aetate prouecti, talem vnquam se videre meminerant; quin rex ipse aliquoties adiutorum suorum in praelio nonnullis: *Hem! horrendas fragores!* inquit;

*) Ignoscent auctori, si qui lectorum hanc descriptionem nimis viuam fortasse deprehenderit; neque enim e phantasia, lectis vel auditis rei gestae narrationibus, profecta, sed e rebus ab ipso visis expressa est. Intererat enim ipse praelio, in prima chiliadis Forcadiae cohorte, quae prima secundi agminis, praesente rege, hostem inuadebat, altera cohorte sub Zithenio adducta; fece-

quit; *num similes unquam audistis?* Neque vero minus horrendi eorum effectus, supra quam quisquam cogitet. Nam intra horae dimidium cristati Borufforum, (quinque millia cum quingentis) qui primi impetum fecerant, exanimis aut vulnerati, etiam antequam sclopetata licuisset multis explodere, per campum circumiacebant; ut non nisi sexcenti eorum postridie superessent. Atque etsi pluuium erat tum caelum, tamen tormentorum fragor, perpetua quadam vi aërem diuidens, circa locum pugnae nubes perfregerat, ut rediret paululum serenitas.

50. Interim e sylua robur accedit Borufforum exercitus, quorum capitibus, antequam hostem ipsi possent conspicere, arborum cacumina, per tormentorum globos deiecta, incidunt. Eorundem fragoribus uniuersa sylua, tanquam tubis, cruentae mortis praenunciis, horrendum in modum perfonat. Egressi inde Borussi recens adducti, per sinuatos fumi orbis promouentes, non victoriae scenam, sed locum, occisis et foede mutilatis corporibus, magno cum anhelitu in suo ipsorum sanguine volutatis, plenum conspiciunt. Ceciderant, quibus iuncti triumphaturos se sperarent, cristati; Zithenianae manus procul constitutae incerta fors; hostis post numerosas machinas letiferas latens, adhuc immobilis. Borufforum tormentarii producere tormenta conan-

feceratque terminum aciei prioris, quae, (ut exercitus Borufforum omnino omnis) in duo quasi exercitus, numero paene pares, diuisa erat. Ex vna hac chiliade in praelio cruentissimo, caesi, vulnerati atque omnino desiderati sunt octingenti amplius, ductores quidem caesi ac vulnerati viginti sex: in his auctor.

conantur; sed equi, iamiam iis iungendi, non minus prosternuntur ictibus, quam equifones, quotquot non aufugerant; rotæ et catastæ (*Lavetten*) diffringuntur. Nihilo secius ecce! nouus a peditatu fit impetus, isque ea virtute, eo ordine, qui familiaris esse praeliantibus Boruffis consuevit. Etenim progressi iam, propter cristatorum cladem Aufriaci, pedem referre coguntur. Saeuit interim in Boruffos vehementissime grando tormentaria; prosternuntur cateruæ integrae; vndique ad explendas lacunas angustius contrahuntur ordines; cadunt veterrimi quique ordinum ductores; succedunt iuniores; exemplo veteranis animos addituri; sic vltius promouetur: ascenditur in colles; aggeres tormentarii expugnantur.

51. Mox alia rursus pugnae facies: Daunius reccentes copias in praelium ducens; eius cataphracti in pedites Borufforum immissi, quos ingenti laniena inter eos facta, in syluam repellunt; Boruffici equites, pediti opem laturo, et ipsi reiecti. Hinc porro alius horum impetus, isque felicior, turbatis peditum Aufriacorum ordinibus, et aliquot millibus eorum, in his dimidia Imperatoris chiliade, captis; labans inde vniuersa Aufriacorum acies; horum iam vndique ingruente equitatu omni, cedentes iterum Boruffi numero valentioribus. Ne Friderici quidem alius cum peditatu impetus felicior: nox ingruens; vires plane exhaustæ; rex ipse vulneratus; amissa plane, vt quidem videbatur, victoria. Daunius iam veredarios cum litteris, cursorum publicorum, tubis canentium, nube cinctos, emitens, qui, Viennam delati, gloriosam victoriam nunciarent.

52. Sed hanc Friderico, non Theresiae, fata assignarant scilicet! Neque enim otiosus interea cum suis Zithenius, superatis coniunctionem cum rege impedituris omnibus, ad Siptitium vicum, ardentem cum maxime, accesserat. Vbi subiiciente consilium optimum ac victoriae efficientissimum Moellendorffio, (tum supremo inter praetorianos vigiliarum, praefecto, nunc in exercitu regis legato, viro bellici ingenii magnitudine celeberrimo) cohortes aliquot, perrupto vico, colles vicinos occupant, et aggerem tormentarium magnum breuissimo tempore expugnant. Quas secutae aliae copiae, manibus adeo vehentes tormenta, et ab equitatu adiutae, repente explosis e colle tormentis, confusionem apud Austriacos, per se iam satis magnam, per tenebras vehementer augent, appropinquantibus interim sinistrae Borufforum alae copiis, instructo, quantum licebat, ordine. Tandem rursus conatus recuperare colles Lafcius repellitur; Borussi captum semel locum tuentur. Quo vno maxime victoria, hostibus extorta, iam nihil nisi receptum meditantibus, cui tres in Albi pontes iuncti valde fauebant.

53. Caeterum in tanta illius noctis caligine, qua densis caelum nubibus esset contextum, nec suas cuique manus liceret ante oculos dignoscere, quum Albis murmura Austriaci, veluti pyxidis nauticae indicia, sequi possent, Borussi, carentes tali duce, cateruatim per syluam ac pugnae locum passim vagabantur. Incerti enim, vbi hostis esset, et ad singulos gressus attenti et suspicaces, metulosorum more, media nocte nil nisi spectra cogitantium, et ipsi nil nisi hostes videre sibi videbantur. Quoties itaque aliis alii appropinquarent, statim telorum ictus mutui inferri, donec, animaduerso
errore,

errore, altera pars, quinam essent? verbis denunciaret. Qua ratione Borufforum haud pauci suorum glandibus cecidere. Neque vero magis mandata et imperia tam dari, quam accipi, quum ductores vel caesi, vel vulnerati essent, vel denique dissipatos suos quaesituri discurrerent. Adhaec nox hyberna per quatuordecim horas extensa; et frigus vehementissimum. Aliis cetervis contigerat, inuenta et congesta lignorum strue ad ignes accendendos uti; aliis, quibus hoc beneficio carendum esset, insanorum modo per tenebras, ut motu corpora calescerent, discurrentibus. Plerique, per integrum diem cibo non refecti, caedendi autem labore defatigati, si vel maxime peras non amisissent, aut inanes non reperissent, tamen, unde aquae potum nanciscerentur, nesciebant. Itaque non magis fame ac siti, quam lassitudine ac frigore vexati, lucem et novum cum ea praelium expectabant. Rex certe noctem in templo vici alicuius transiit, ubi, vulnus molestissimum sibi obligandum, gesta ad se referenda, et mandata ad alios perferenda curabat.

54. Sed quantumvis iniqua horum erat conditio, haud paulo tamen iniquior, horrenda illa nocte, vulneratorum fuit. Quorum, quicumque vel paululum reperere poterant, vicos proximos petebant; at reliqui, vulnerum grauitate humo affixi, gelu rigentes, elisis membris, auulsis ossibus, natantes in suo sanguine, ope omni destituti, celerrimam sibi mortem miseri optabant. Pluribus tamen maiores cruciatus imminebant. Magna enim abiectissimorum hominum, militum, calorum, mulierum colluuiis, ea nocte pugnae locum peruagata, non viuos minus, quam mortuos, spoliabant, ne indusio quidem vulneratis relicto. Quorum etsi clamoribus
aër

aër personabat, mille tamen vocibus ad caelum perlatus omnium strepitus, singulorum lamentationes obscurabat. Quin occisos ab his belluis, indicii metu, nonnullos constat. Multi quoque, licet mortifero haud iëti vulnere, tamen, quum pedibus vti non possent; mortifera illa pedum, per noctem hybernâ nudatione, in solo congelato misere se torquentes, morti præda cessere.

55. Interim occupatus in templo vici rex, quum hostium fugam nondum comperisset, praelii redintegrationem molitur; eumque in finem mandata ante lucem distribuit, vt pedites non sclopetorum explosionibus, sed recta via, praefixis verutis, hostem peterent. - Nec nisi diluculum idem expectat, vt dispersis cateruis hinc inde collectis, ordines denuo instrueret. Sed vix dies funestum pugnae locum illustrat, quum ecce! non opus esse novo cum Austriacis praelio, sed, se victorem, egregia victoria potitum, et Saxoniae possessionem iis extorsisse, animaduertit. Ita ergo Austriaci, traiecto Albi, per littus fluminis Dresdam petunt; Borussi in hyberna discedunt.

56. Daunius, accepto in pugna vulnere grauissimo, quum discedens summum exercitus imperium Baccouio, belli duci, tradidisset, huic statim post eliso per glandem plumbeam brachio, ad Odonellium, belli ducem, summa imperii redierat. Hunc cedentem ac festinantem, ad Dresdam defendendam, in castra Plauiana munitissima copias ducere, Zithenius, sine intermissione persecutus, multos eius milites cepit. Caeterum tam cruento praelio vterque exercitus incredibilem in modum fuerat imminutus. Austriacorum caesa et vulnerata erant, novem, capta octo millia, iidem praeterea tormenta quinquaginta, signa triginta, rates iunctas

etas viginti amiserant. Nec pauciores Borussi ex utroque genere desiderabant, mille quingentis insuper in hostium manus delatis.

57. Fortiter sane restitisse Daunium, et ingenti virtute Austriacos pugnasse, nemo negauerit. Itaque etsi laetiores nuncios Viennam tristiores sequebantur postridie, qui faustis clamoribus finem imponerent; tamen benignissimo vultu venientem summum exercitus sui ducem, cumque aduerso vulnere conspicuum, Theresia suscepit, ut etiam, salutandi causa, obuiam ei per aliquot miliaria veheretur. Atque omnino excitandae militum suorum virtuti haec magni animi foemina nunquam defuit. Nam ut plurimum, quoties eorum cateruae Viennam transirent, ad exercitum profecturae, adesse solebat praetereuntibus, blando ore iis animum addere, *liberos sibi carissimos* appellare identidem, his autem matrem, vno ore cateruatim resalutantibus, arrire benignissime, nec facile sine muneribus ipsos dimittere.

58. Caeterum victoria Torgauensis ingentes effectus habuit: Saxonia, praeter vnam Dresdam, a Borussis recuperata omnis, et hyberna horum tuta reddita. Fridericus ad hostem e Silesia, Marchia et Pomerania depellendum, nouas manus emittere; quin adeo Ferdinandum Brunsvicensem octo militum millibus iuuare, et Megapolitanas terras recipere. Oppugnarat Coselium Laudonius; sed desperata expugnatione, Glacium repetiit. Sueci a Vernerio, belli duce, Stralesundiam compulsi; Russi denique in hyberna Poloniae vetera profecti.

59. Rex sua Lipsiae agebat, quam in urbem etiam multi vulneratorum post praelium erant adducti. Haec iam demonstrati in patriam amoris insignes poenas luebat. Nam quum incolae, se copias principum Germaniae, ipsorum regi opem laturas, malle apud se habere, quam Boruffos, verbis significassent; hinc nouae horum et ampliores exactiones sequutae. Enormes pecuniarum summae, cum immensa natorum factorumque copia imperatae. Jam etsi haec tot tantaque Senatus confici negabat posse, ad litteras, ipsius regis manu scriptas, prouocans, quibus extremum talium exactionum terminum, nunquam excedendum, posuisset quingenta imperialium millia; quae, soluta iam ab ipsis, iniuste denuo repeti; nihil tum illa valuit excusatio, sed reuentibus vis coepta adhiberi. Saepius iam, terroris incutiendi causa, pyrobolos (*Pechkränze*) ante urbis aedificia suspensuros se, Borussi erant comminati, subinde etiam vere suspenderant; *aut pecuniam soluendam, aut urbem in cineres collapsuram*, dictitantes. At incolae, probe gnari, non tantum ac talem regis fauittiam fore, immo e talibus minis praefectorum eius inconsiderantiam non minus, quam pecuniae auiditatem fatis luculenter edocti, nihil plane istas minas curare scilicet; nec trepidare, sed subridere potius; praesertim, quum pyroboli isti mox rursus tollerentur. Verum alia iam via res tentari. Senatores praecipui cum ditissimis quibusque mercatoribus, in carcerem coniecti, ibique durissime tractati. Conferti in eandem diaetam inclusi; stramina cubantibus subiecta. Communissimae adeo commoditates ipsis subtractae; nulla lecti, nulla cibi cocti data copia. Ab initio centum ac duodeuiginti hanc sortem habuerant, quibus post decimum diem dimissis, septendecim primores, per integros qua-

tuor menses in vinculis detenti. Qui igitur lautissime antehac vixerant, eos iam oportebat victu vti asperri-
mo, corpora, aeui luxu effoeminata, humi voluere, ac
vas, iure nigro plenum, [quod cuique formosa filia,
patrem inuisura, sub veste ferica occultatum, fortasse
attulerat, in lucro ponere. Adhaec, squalore obfiti,
et intonsi, prolixas, Iudaeorum more, barbas habebant.
"Pecuniam cedo, canes!" ita eos mane salutare solebat
exactor, cui crumenam haec duritia implebat scilicet.
Quod si singulos seorsim ita tractassent; facile fuerat
fortasse, eos ad parendum cogere; sed in eundem lo-
cum densati animos addebant sibi inuicem, et constan-
tiam. Vnde communis quidam inter eos sensus ex-
ortus, omnes iniurias, omnem vim eludebat. Tum
demum, quum denuo, idque callidissime, aliquis mina-
tus esset, hos vrbs opulentissimae proceres, haec fami-
liarum capita, quorum vxores ac liberi, interdum noctu-
que lacrymis ac fletu contabescerent, Magdeburgum ad
militiam subeundam pedibus ituros, farcinas in tergo
habentes, quumque huius rei apparatus vere fieri vidis-
sent, tum igitur demum ceciderunt animi, vt, quidquid
praestari posset, praestituros se, Boruffis promitterent.

60. Tanta exactionum acerbitate, quantam haud
dubie regis mandata minime voluerant, multi vitam
perdidere, certe mariti, vxores, et liberi haud pauci
moerore confecti. Magna quoque incolarum vis Lipsia
emigrabat, tepebant commercia, ac celebritas merca-
tuum Lipsiensium pristina paene ad minorum nundina-
rum infrequentiam redierat.

61. Sane Fridericum, belli tam diuturni ac sum-
tuosi aduersus summos Europae principes, partim occu-
patis, partim vastatis ab hoste, suis prouinciis, gerendi
necessi-

necessitas, ad subsidia quaedam coegerat confugere, quae alioqui adhiberi non solent. Praecipuum erat, vt pecuniam Borussicam et Saxonicam adulteraret. Conduxerat negotium vniuersum Ephraimus, Iudaeus Bero-
linensis, qui immensam quotannis aureorum et argen-
teorum numorum vim, e vario admodum metalli genere
cusam, Borussico et Saxonico nomine signandam curabat.
Hi singulis paulatim annis viliores, eo tandem recide-
rant, vt Augusteorum aureorum seu cupreorum rectius,
verum pretium tandem, numi imperialis, argenti puri,
pretium non vinceret; veteribus contra illis ac genui-
nis Augusteis, viginti imperialium, nouae pecuniae,
pretio venalibus. Hoc tum monetae genere soluta
Borussico militi stipendia, reipublicae administratoribus
falaria, coemtae omnes exercituum et belli necessitates,
merces omnes mutatae, denique inundata in primis om-
nis Germania inferior. Eiusdem monetae, paene ma-
gicae, sub eadem forma, magnitudine ac signo, indies
tamen magis corruptae, et opinata possessores suos opu-
lencia fallentis, haud semel decies centena millia in maxi-
mis emporiis manibus hominum terebantur. Eadem
ipsum adeo Belgium peruaserat, vt Bataui, finito bello,
ligna et frumenta a Borussis tali pecunia, quam vilis-
simo pretio se redempturos sperarent. Denique pro im-
minuti eius pretii ratione ac modo, omnia tam terra
rata, quam arte facta, omneque adeo mercium genus,
pluris vendebatur. Sola vitae alimenta, maxime ne-
cessaria, pretium non nimis augebant, ne miles Borussor-
um gregarius fame laborare cogereetur.

62. Alio rursus subsidio, quo immensos belli
sumtus ad tempus minueret, Maria Theresia utebatur
hoc, vt superiorum ordinum in exercitu ductoribus,

a summo inde duce ad summos excubiarum praefectos, non paratam pecuniam solveret, sed syngraphas stipendii loco daret, non illis similes, quae in mensa publica dantur, aut de manu in manum ituras, sed reipublicae nomine illis cauturas. Quorum quicumque dilatam post bellum solutionem expectare vel nequissent, vel nolissent, syngraphas suas, imminuto insigniter pretio ad mensam, a Francisco, Imperatore, hunc ipsum in finem constitutam, venderent. Erat hoc scilicet ipsius peculium, a Mariae Theresiae coniugis redditibus seiunctum, quod sic augere animum induxerat. Ex eadem mensa, qui commeatus et reliquorum exercitui necessariorum curam conduxerant, paratam pecuniam fumebant. Accesserat huic subsidio priuatorum quorundam liberalitas, quibus insigni ad imitandum exemplo praeibat Venceslaus Lichtenstenius, princeps, Austriae ditionis terrarum longe ditissimus. Hic enim, summus rei tormentariae vniuersae apud Austriacos praefectus, suo sumtu partem cohortis suae alebat. Alii ex priuatis, paulo fortunatiores, aliis modis consulere studebant salutis publicae; ne exceptis quidem aulae Viennensis foeminis illustribus, quae, ne et ipsae viderentur reipublicae aut beneficentiae officii deesse, lintea in particulas discerpebant, ut purgandis militum vulneribus infererentur, (*Charpie zupfen*) praefertim, quum suis ipsa manibus Maria Theresia, eodem vulneratis gregariis ministerio praestando, reliquarum humanitatem mouisset. Hinc in elegantiam res, mox in luem conuersa, totam regiam exercuit, ut passim opificum quoque uxores, pannis adeo indusiorum per arcas suas conquisitis, belli gerendi rationem, quantum in ipsis esset, iuuarent. Quo factum est, ut breui, per Austriam linteorum commercia feruescerent, et plaustris lintea discerpta nosocomijs militari-

militaribus adueherentur, donec molestae illi sedulitati precibus modus imponeretur.

63. Eadem in vrbe, post quinquennale iam bellum, recuperandae tandem aliquando Silesiae spes adeo nondum defecerat; vt etiam Glacium, nuper expugnatum, noua ipsi alimenta subiiceret, praesertim focis potentissimis pristinam adhuc iuuandi voluntatem vndique demonstrantibus. Qui quum victoriam Friderici Torgauensem, propter sanguinis copiam largiter ibi fusam, ab ingenti clade vix differre arbitrarentur; nunquam alias difficiliorese aduersus ipsum in permutandis captiuis praebuerant. Neque tamen ei propterea miles deerat. Nam quum in terris eius agri, propter vastationes perpetuas inculti maximam partem iacerent, multa iuuenum millia aratrum cum telo pyrio permutabant quam promptissime, praesertim rege non amplius quaerente magnopere proceritatem corporis. Scilicet hominibus opus erat simpliciter, qui satis celeriter in milites transformarentur. Statim igitur ab delectu habito, antequam hi patriam relinquerent, emissi multi ordinum ductores, partim superiores, partim inferiores, dies ac noctes eos agitabant, vt respirare vix possent, nullo frigoris, aut niuium, aut tenebrarum, aut sacrorum dierum habito discrimine. Sine intermissione vestiti, instituti, exercitati, in areis, stabulis, horreis, plerumque iam ad militarem habitum effecti, ad chilia des quisque suas, et apertum in bellum ducebantur.

64. Sane in omnibus tum exercitiis, bellum gerentibus, post tot praelia, veteranorum numerus decreuerat. Verum apud Boruffos, quidquid aetati deerat, id militares animi, cum lacte materno velut excepti, compensabant. Quum porro tot ordinum ductores

cecidissent, neque aliis horum loca, nisi genere illustribus, rex vellet concedere, adolescentuli subinde, longe a virili aetate remoti, e nobilium tironum Schola (*Cadettencorps*) Berolinensi delecti, ad exercitum mittebantur. *) Hi omnes, prorsus iam militiae apti, aliorum exercituum veteranis, excepto corporis robore, per omnia erant paene pares. Iidem, non impediante natalium splendore, sub armis educati, victui aspero adfueti, vigiliis, per frigora et aestus, durati, cum omnibus ac singulis artis militandi partibus contracta familiaritate, animos habebant, bellicae laudis cupiditate plenissimos. Saepius, quum vix ad exercitum venissent, ad paulo grauiora belli negotia adhibiti; mandata sibi non fecus ac veterani ductores, mascula grauitate, rerum scientia, ac studio exsequebantur. Nunc illi collectas tironum militiae cateruas in armis exercere, nunc paruo militum numero praefici, nunc optiones (*Adiutanten*) designari. In praeliis veteranos adeo verbis blandis ad virtutem excitare, exemploque iis animum adiicere. Quales adolescentulos quum saepe Austriaci inter captiuos Boruffos reperissent, solam aetatem respicientes, caetera non curantes, hominibus egere Fridericum, cui supplendi exercitus causa, ad pueros adeo descendendum esset, iudicabant.

65. Sed quidquid militum Friderico decedebat, compensabatur magnam partem etiam ab ipsis Austriacis, qui vergente ad finem bello, non minus certe frequenter,

*) Nondum quidem quatuordécim vitae annos auctor expleuerat, quum a. MDCCLVIII. cum aliis vndequadraginta tironibus, mense Decembri, Vratislaviam ad regis praetorium mittebatur.

quenter, quam Boruffi, castra deferebant. Plus certe curae his adhibitum, constat. Neque enim vnquam iis, per totum illum septem expeditionum bellicarum, tam varia fortuna, tamque multo cum sanguine gestarum, cursum, panis, nec pabula, raro obsonia, rarius etiam carnes, defuerunt. Ac plerumque in tres aut plures dies prouisum panem (demenfum indies singulos binas libras) Borufficus miles habere solebat, ne post acceptas quidem clades, aut euerfa horrea minuendum. Obsonia per certos homines, ex vicinis urbibus aut vicis in castra venire iussos, militi pretio satis tolerabili vendebantur. Ad quem mercatum venditores inuitabat imprimis, praeter bene moratum militem, spes paratae statim pecuniae. Praeterea quum rex singulis militibus singulas carnis libras per hebdomadem destinasset, chiliades integros subinde bouum greges coëmebant, quos sine summa necessitate, non licebat procul a castris abigere.

66. Haec ipsa visceratio, etsi per se non magna, magnum nihilominus transfugarum ad signa Boruffica numerum alliciebat. Innatum enim hominibus libertatis studium, vel apud incultissimum quemque militem, in media seruitute, minori necessitati inuidendae adeo fortis imaginem circumdat. Iam quum apud Austriacos gregarii omnes ac singuli maximam exigui stipendii partem cogerentur ad curam rei cibariae castrensis conferre; qua sumpta decuriones pro arbitrio cibum ipsis apponerent, nec, nisi quantum inde restitisset, militi redderent; haec tota necessitas apud Boruffos cessabat; quos postquam verbis ad quandam ciborum societatem ineundam ductores excitabant; carnes militares cum autliepsa castrensi (*Zeltkessel*) communi illam veluti

focietatem arctiorem solebant reddere. Hoc ipso se, multi hostium transfugae, ad signa fuorum deferenda compulso, libere profitebantur.

67. Qui boues chiliadum pascebant, ipsi erant milites, ruri a pueris huic negotio assueti, neque grauius pedum in manus sumturi, quam sclopetum humeris iniecturi. Indigenae quum essent, non verendum erat, ne ad hostes transfirent; armati, velites certe hostium circumvagantes facile arcebant. Omnino haec in adhibendis hominibus veluti parsimonia per omnia apud Borussos dominabatur; quo factum est, vt impedimentorum ac desideriorum numerum minueret, ordinem conseruaret in exercitu, et quibusuis locis consilio suo ex asse satisfaceret. Sic centuriae singulae habebant futores ac fartores, singulos a consuetis militiae vicibus immunes, nec modo in statiuis, verum etiam in castris ac stationibus, necessaria commilitonibus conficientes; multae lanios suos, qui pecora coemta et maetata tolerabili pretio venderent; alios quoque non nullos, qui calorum vicem gererent. Sic pedites habebant fabros lignarios, et sclopetarios; equites fabros ferrarios et ephippiarios; tormentarii denique rotarios; sed nullum horum non et ipsum militem. Singulis ordinum ductoribus famulabantur milites singuli, regis sumtu vestiti, ac simul cum hero militia functi. In singulis denique centuriis erat aliquis decurionum, (armorum centurionem (*Capitain d'armes*) vocabant) qui sclopetorum ac vestium militarium curam haberet; item metator, (*Fourier*) qui com meatui ac pabulis praefectus esset, nec non castra metaretur, adiunctis duobus aliis (*Fourierschützen*) in hoc laboris genere ipsum adiuturis; quanquam non minus, quam caeteri, milita-

militabant. Hi, quoties locus castris delectus esset, euocati ex agmine, caeteros metandi causa praecurrebant, non egerentes videlicet praesidio, quum ipsi milites essent, at quemlibet hostium, in castra metando impediturum, vltro laceffituri. Apud Auftriacos contra, in hoc quidem genere, alia omnia. Horum, (vt hoc vtar) metatores erant e ciuili ordine, quorum et opiniones, et ingenium, et mores, militum ingeniis, moribus, et commodis essent contrarii, et qui imperiis aliorum parere minime didicissent. Vnde perpetuae turbae ac certamina, quorum apud Borussos nullum vnquam vestigium, quorum in castris nemo esset, praeter ipsos milites, ac nemo proinde ad vnum illum finem non communiter contenderet. Miles enim opifex, qui in hybernis, in stationibus, et castris, immunitate ab excubiis et emissionibus fruens, opificium suum tranquillus ageret, idem tamen, simul atque iter ingrediendum esset, aut hostis apparuisset, arma cogebatur fumere, neque vlla dexteritas, vllum artificium, vllus labor, vllus ductorum fauor, eum a praeliandi aut obsidendi vicibus liberabat, quominus ordini suo infertus, periculi societatem, vt primum id vel in planitie, vel in fossis obsidionibus, vel in assultu vrbis ostenderetur, communiter adiret cum commilitonibus.

68. Post haec, memoratu ad posteritatem omnino dignissima, ad belli ipsius acta, age, iam reuertamur.

69. Francogalli expeditionem anni MDCCLX centum et triginta militum millibus exorsi, quorum centum in Vestphalia, reliqua triginta ad Rhenum bellum gererent. Quibus ita dispositis Brolius quum foederatorum exercitum pariter diuisurum se sperasset;

magna tamen eius consiliis obiecta impedimenta, per ducum exercitus quorundam contumaciam, quos honor militaris, ei ab aula habitus, admodum offenderant. Hinc orta cunctatione Ferdinandus, moram nactus, supplementa exercitus Britannici, Embda ad se venire iussa, cum suis coniunxit, ut iam viginti Britannorum millia sub signis haberet.

70. Itaque Francogallos, qui in terras Hanoueranas videbantur impetum facturi, quam primum inuasurus, cum exercitu mouit. Qui primum agmen ducebat, Carolus Brunswicensis, cum ad Corbacum occurrisset hostibus, ratus, non nisi partem eorum adesse exercitus, sine mora in eos impetum facit. Sed quum hi, nexi cum maiori Francogallorum exercitu, recentibus subinde copijs firmarentur, Ferdinandus non statim succurrere Carolo Duci posset; nihil huic quidem supererat, nisi, ut loco cederet, quod ipsum ordine summo factum. Quem ut interrumperet, etsi nihil non tentabat Francogallorum equitatus, tamen ipse iuuenis, inter primos equo in hostem uectus, eorum pedites repellebat. Capti in hac pugna, caesi, et vulnerati foederatorum octingenti, amissa tormenta quindecim, vulnerato Carolo ipso, quem, etsi loco deiectum, tamen propter ingentes animos, et prudentiam insignem, qua interuentionem suorum auertisset, non socii magis, quam hostes, summis laudibus extollebant. Idem post. Id. Iul. septimo post pugnam Corbacensem die, aliam Francogallorum manum ad Emsdorpium adortus, plane deuicit, captis inde duobus militum millibus, expugnatisque sex tormentis, cum magno impedimentorum et instrumenti bellici apparatu.

71. At Virtembergenses copiae, accepta a Francogallis missione, propterea, quod Princeps earum sub Xaerio, Principe, (qui affinitate Delphino iunctus, plus auctoritatis in aula Versaliensi habebat), militare nollet, domum repetierant. Nec minus St. Germani Comes, Lucas (*de Luc*) Comes et Voyerius, Marchio, nescio quibus rebus offensi, relicto exercitu, militiae regis Francogallici renunciarant. Quorum habitu, quo multa essent turbata in exercitu, vsurus in rem suam Ferdinandus, minorem Francogallorum exercitum, triginta quinque millium, cui Maius, (*May*) Eques, praeerat, ad Varburgum vndique simul adortus, paucis horis in fugam vertit, ita, vt, caesis mille quingentis, mille sexcenti, cum decem tormentis, in potestatem victoris peruenirent.

72. Caeterum, quod Saxonia Inferior et Vestphalia non abundabant munitis vrbibus, hinc perpetuae et acres vtriusque exercitus velitationes, hinc perpetua in capiendis vrbibus et regionibus vicissitudo, quas non occupatas celerius, quam relictas, diceres. Vix dum enim Francogalli prouinciam aliquam ceperant, cuius perpetuo possidendae spe redemptores Lutetia arcesserent, eam suo more expilatos; quum ecce, vel ante, quam hi venissent, ne vicus quidem prouinciae, cui perniciem illi destinassent, in eorum manibus esset amplius. Neque igitur his eorum progressibus admodum mouebantur foederati, nisi, vt, quo primum loco hostis inuadendus esset, distinctius deliberarent. Plane sic tum accidit. Dum enim exercitus Francogallorum progreditur, captae erant Minda, Cassellae, Gottinga, et Einbeccium, Hamelae autem obsidio imminabat. Sed haec omnia, propter temporis breuitatem, quo retinebantur,

bantur, somnio, quam veritati similia. Paucis post diebus exortus Lucnerus, victores repellit, et ingentem ex iis numerum capit. Contra ea Zigenhaynae septingenti foederatorum a Francogallis capti; qui, Cassellis militari illorum nosocomio potiti, hanc urbem retenturi videbantur.

73. Brolius, etsi exercitum habens numerosissimum, tamen propter intestinas discordias non ausus praelio decernere, castra prope Cassellas muniebat, relinquens hoc pacto locum Ferdinando, ut alimentis ipsum intercluderet, et horrea euerteret.

74. Eodem tempore Britanni, maris imperio potiti, per caeteras quoque orbis habitati partes arma circum ferebant victricia. Victis enim ad interneccionem prope Quebecum Francogallis, Canadam omnem in potestatem redegerant, ut etiam horum insulis, in India Occidentali sitis, inhiarent. Quin, si fieri posset, amici regis Britanniae, qui omnes a nutu pendebant vnus magni Pittii, bellum in Franciae penetralia transferre decreuerant. Hunc in finem in Ducatum Cliuensem missus cum copiis princeps iuuentutis Brunsuicensis, ut Francogallos inde depelleret, Rheno traiecto, multis captis, Vefaliam corona cingebat. Et quamuis pluuium caelum, quo viae inuiae erant factae, et amnes intumuerant, consilium admodum impediabat; tamen iam a. d. VI. Id. Oct. iniunctis brachiis, iusta oppugnatio fieri coepta. Sed quod illa vrbs esset maximi ad omne bellum momenti, Brolius, diligentissimos ad eam liberandam apparatus factururus, Castrum, (*Castries*) belli ducem, cum valida manu emittit. Hic, magnis itineribus factis, quum Rhenobergam peruenisset; vitare iam praelium non amplius licebat. Brunsuicensis hostes,
prope

prope fyluam opportuno loco constitutos, magno impetu petere; a primo mane ad vesperam ingenti virtute vtrinque pugnari; neque tamen foederati Francogallos e fylua posse eiicere; omnes eius rei conatus incassum suscipi. Ne ipse quidem Brunswicensis saluti suae parcere; quin rursus vulnerari; equus adeo illius sub ipso glande plumbea traiici. Tandem, ordinibus instructis, foederati pedem referre, et quanquam receptum trans pontem, in Rheno factum, et a procella male laceratum, habebant, minime tamen ab hostibus persequendo vexari. Quin ex his ipsis Vrangelum, ducem belli, cum aliquoties centenis millibus et aliquot tormentis ceperant. Cruenta admodum fuerat pugna, e foederato exercitu occisis, vulneratis, ac desideratis mille militibus, e Francogallico etiam pluribus. Soluta inde Vefaliae obsidione, Brunswicensis ad Bruynam castra posuit, vbi iterum pugnae aliquantum, qua fusi Francogalli, amissis mille ducentis.

75. Interim ad Cassellas adhuc haerebat primarius eorum exercitus, occupatamque iidem, et munitam Gottingam, numerofo praesidio instruxerant. Quam quum per viginti dies circumfedisset Ferdinandus, praesidiarii, magna vsi fortitudine, a. d. IV. Id. Oct. eruptione facta, effecerunt, vt obsidio solueretur.

76. Finitam ibi huius anni expeditionem putabant omnes; sed consilia, sub hyemem mediam exsequenda, Ferdinandus agitabat. Tenebant Hassiam omnem Francogalli, et in ea horrea ingentia instruxerant. Iidem vero exercitus suos disposuerant sic, vt dimidiatae lunae ingentis, a Gottinga ad Vefaliam vsque, imaginem referrent.

LIBER VI. ANNVS 1761.

CAP. I. A. d. III. Id. Febr. MDCCLXI. Ferdinandus, mouens cum exercitu, et quadripartito agmine Francogallorum statim undique aggressus, ita eorum animos terreat, vt, nusquam sistentes gradum, effusa fuga, Castellae, Gottingam, Marburgum, ac caeteras vrbes, quae magnae veluti catenae articuli fuerant firmissimi, post tergum relinquerent, non nisi Castellis decem millium, Gottinga autem septem millium, et quingentorum praesidio firmatis. Quae minus munita fuerant loca, ea paulatim a foederatis recepta; horrea autem a Francogallis fugientibus euerfa. Ex his tamen Foederati, presso hostem pede infecuti, quinque ingentia seruauere. Quorum quidem in vno octoginta millia faccorum, farina, quinquaginta autem millia, auena plenorum, cum decies centenis millibus demensorum foeni (*Rationen*) reperta sunt. Quem rerum successum vt latius diffunderet, Spoerkenius, Hanoueranorum bellidux, cum militari manu Saxoniae fines petit, eo quidem consilio, vt aliam Borufficam sibi adiungeret. Quod ne fieret, quum omni virium nisu Saxonum copiae cum exercitu Germanico iunctae conarentur impedire, ad praelium a. d. XV. Cal. Mart. prope Longotalissam res rediit, saeuum sane et atrox, quo fugati Saxones, quinque militum millia amiserunt. Ea victoria quanquam effectum erat hoc, vt quidquid hostes adhuc locorum tenuissent, iam relinquerent, et caeteruatim signa desererent, non multum tamen ea omnia proderant, quam diu Castellae a Francogallis tenerentur; cuius vrbs obsidionem maximis cum difficultatibus

tibus coniunctam fore, praeuidebant omnes, quum et necessariis omnibus, et numero admodum praesidio esset instructa, denique praefectum haberet eum, qui non animosior esset, quam gloriae militaris audior, Brolium, Comitem, summi copiarum Francogallicarum ducis fratrem.

2. Itaque Ferdinandus disposuerat exercitum sic, ut non minus Marburgum ac Zigenhaynam corona cingere, quam obsessores Castellarum aduersus impetum quemuis tueri posset; iamque ipsis Cal. Mart. media adhuc hyeme, brachia ad urbem erant iniuncta. Sed quum magnae admodum curae cordique haec urbs Brolio esset, exercitus duci; is quidquid ad inferiorem Rhenum copiarum habebat, contractum aduersus hostem ducit, et ad Stangerodam Carolum Brunsvicensem inuadit; et, quum non minus loci opportunitate, quam numero esset longe superior, victoriam ei extorquet. Capta sunt ea pugna foederatorum duo millia, cum tormentis duodecim et signis duodeuiginti. Aliud inde ex alio malum. Liberatae Marburgum, Zigenhayna, et Castellae, et quidquid paulo ante recuperatum erat, rursus relictum; Ferdinandoque Paderbornam cum copiis omnibus profecto, Francogalli denuo omni Hassia potiti, vnde patefactam sibi in terras Hanoueranas viam reperirent. Neque eos tum aliud quidquam ab ulteriori progressu retinuit, nisi quod horreis carerent, quorum iactura quanti fuisset, nunc demum apparebat. Vtraque iam pars, quod reliquum hyemis erat, quieti in statiuis transegere.

3. Caeterum, qui bello impliciti erant principes, etsi pacis studio flagrabant, tamen eas ferebant conditiones, ut serio de ea agi minime posset. Fridericus qui-

quidem tum eiusmodi iacturam fecerat, quae integrae prouinciae, ab hoste occupatae, instar habebat, amisso Georgio II. Britanniae rege, socio et amico, qui ex-eunte Octobri MDCCLX decesserat. Cuius morte si-mul refrixit ardor regius belli in Germania summa vi gerendi, seu, (quod Pittius dicitabat) Americae per Germaniam expugnandae. Quanquam enim Britannia vniuersa, cui terrestre bellum antea displicuerat, per-spectis deinde eius commodis, ad id continuandum summo consensu inclinabat, nec dum Pittius, qui in senatu plebeiorum (*Vnterhaus*) plurimum valebat, a republica gerenda fuerat remotus; tamen in consilio regis intimo eius lababat auctoritas; quam impugnabat tum Butesius, vir illustris, nouo regi gratissimus. Hic, destitutus dotibus, ad rempublicam administrandam ne-cessariis omnibus, quum id vnum ingenio suo didicif-set efficere, vt rex ipso carere non posset, regnum autem opibus florentissimum, de potentiae fastigio in miseriae abyssum praeceps rueret; conscius sibi, quam parum esset in se virium ad regendam ciuitatem, idem tamen regnandi cupidissimus, minus sibi pacem, in ob-tinendo sine suo, quam turbas externas, aduersaturam arbitrabatur. Quum praeterea ampliandae regiae pote-statis rationes quasdam excogitasset, quas bello exsequi vix liceret; nihil nisi pacem anhelabat. Sed quum, consentientibus ad bellum continuandum administris re-liquis, senatu, et populo vniuerso, palam dicere sen-tentiam ei nondum liceret; occultas ad eam caeteris per-suadendam machinas admouebat. Nec diu euentus defuit. Nam neque foedus cum Borussiae rege renoua-tum, neque pecuniae ad eum transmissae sunt amplius, quantumuis Georgius III. prima statim oratione, in se-natu regni habita, staturum se iis, quae cum foederatis

essent

essent pacta, promiserat. Quae promissa communis omnium laetitia erat consecuta, prodente hanc fenatu, litteris, gratiarum agendarum causa ad regem missis, in quibus haec verba, Friderico honorificentissima, a fenatu praesertim nationis exterae, erant scripta: "*Nos quidem inconcussam plane regis Borussorum, socii nostri, constantiam, et inexhaustam ad excogitanda identidem noua praesidia ingenii vim, satis mirari non possumus. — Statim itaque, toto animo, ac lubentissime, pecunias ei, ad bellum porro gerendum necessarias, decernimus.*" At haec displicebant Butesio; quo instigante primum quaesita quaedam ad differendum effugia; deinde vero, missis ambagibus, simpliciter negatae Borussorum regi pecuniae.

4. Neque vero hic in hybernis artium et disciplinarum studia omittere, immo aliquam temporis sui partem iis consecrare. Quotidie cum eo conuersabatur Quintus Icilius, chiliarchus. Hic, miles eruditissimus, vero nomine Guichardus, quum insignem non modo antiquitatis, verum etiam rerum, aeuo recentiori gestarum, notitiam sibi comparasset, inprimis Tactice Graecorum veterum et Romanorum scriptis egregie illustrasset: factum est, vt Friderico in mentem veniret, ei Centurionis Romani et nomen et dignitatem imponere, quam ille etiam ad mortem vsque retinuit. Idem regi, post praelium Torgauense Lipsiae primum hyemanti, persuaserat, vt Academiae illius professores ad se colloquendi causa vocaret. Erat autem Friderici animus ab omnibus omnino doctis Germaniae viris longe alienissimus, ita quidem, vt nec eorum vllum propius cognoscere, nec libros eorum vernacula lingua scriptos, inspicere dignaretur; ratus haud dubie,

eodem adhuc statu litteras Germanorum esse, anno MDCCLX, quo circa annum saeculi XXX. fuissent; quo tempore Gundlingius, scurra ille aulae Borussiae, Academiae doctrinarum Berolinensi praesederat. Neque vero, cui tum primum colloquendi cum rege, eodemque poeta summo, copia contigerat, Gottschedius, etsi ingenti tum apud omnes fama notus, erat is, qui regi istum de litteris Germanorum errorem eriperet. Immo mediocres viri, in tanta nominis celebritate, dotes, et plane nulla vel ingenii vis, vel iudicii subtilitas, praeceptam semel animo iniquam de Germanis opinionem confirmasse, atque ad iudicandum de tota gente momentum, in omnem reliquam eius vitam, videntur fecisse. Nihilominus tandem, Quinti sui suavis, Gellertum quoque, professorem, ad se arcessit; cuius et accuratam doctrinam, et subtile de rebus iudicium, et commodam orationem admiratus rex iudicium de eo tulit, quod hunc virum, modestissimum sane, in ruborem daret *); ac ne liberiori quidem eius oratione, qua nimium in Francogallos fauorem, et in fouendis Germanorum litteris negligentiam ei exprobrabat, offensus est. Sed quanquam eum tum rex saepius ad se redire iusserat, tamen intra vnum illud colloquium res substitit, quum Gellertus, (quemadmodum, litteris ad Rabenerum datis, deinde professus est) Sircidae monitum, *aditum ad reges expugnare, vetantis*, accurate admodum sequeretur.

5. Quod

*) Rex, qui, vt supra dictum, doctos Germaniae viros, neque de facie, neque e libris nosset, his de Gellerto verbis erat vsus: *Hic quidem omnium Germaniae eruditiorum maxime sapit!*

5. Quod autem Friderico praeter opinionem subtractum erat pecuniae Britannicae praesidium, id eum haud dubie imprimis impulit, ut in proxima expeditione, non nisi defendendo aduersus hostes ageret. Quod insolitum plane in eo quum observassent Austriaci, rati, hanc cautionem esse fraudem bellicam, quae maius aliquid occultaret, et ipsi ab omni in eum impetu abstinebant, fatis habentes, ad omnes eius motus animum intendere. Sed quum adhuc Silesiam omnia et Austriacorum et Russorum consilia spectarent; rex vere huius anni, eo profectus, Henricum fratrem cum exercitu in Saxonia reliquit, in qua Daunius quoque cum exercitu primario remanebat, missio in Silesiam, ut fortunam in rege experiretur, Laudonio; qui tum primum iustum exercitum ducebat, eo maxime consilio, ut cum exercitu Russorum primario, quemadmodum superiori anno, studeret sese coniungere. Quem tamen praeueniens magnis itineribus rex, haud parua Russis, qui e Polonia profecti Vratislaviam, veluti temporis fallendi causa, e septem aggeribus tormentariis infestabant, impedimenta obiciebat, quo minus Viadrum traicerent. Quum igitur non nisi Augusto decimum mense hoc potuissent facere, tandem prid. Id. eius mensis prope Strigauiam facta est illa, iam dudum optata, et a quatuor inde annis praeparata exercituum coniunctio. Ducebat Russos Butterlinus, habens sub signis supra septuaginta, sicut Laudonius sexaginta militum millia. His quum haud plures quinquaginta millibus opponere Fridericus posset, castra cum his haud procul Suidnitio ad Bunceluitium ingressus est, quae hostes, in lunae falcatae modum cingebant eo usque, ut non nisi a tergo tutae essent. Aduecti quoque in praetorium Russorum paulo ante duo currus fuerant,

onuisti numis, in victoriae Cunnorsdorffensis memoriam
 cufis, et in exercitu distribuendis. Omnino etsi toto
 hoc bello Friderici non modo ciuilibus prudentia, verum
 etiam fortuna militaris in summum saepe discrimen fue-
 rant adductae, non tamen facile iniquiori, quam tunc,
 loco erat constitutus. Si praelio vellet decernere,
 (quod plerumque alias prosperrimo cum euentu tenta-
 rat) temeritatem summam, in tanta quidem hostium
 potentia erat proditurus. Nam quum hinc gloriosissi-
 mam victoriam, hoc rerum suarum statu, non nisi im-
 menso paene suorum sanguine posset redimere, nec ta-
 men, propter exercituum hostilium frequentiam, ex ea
 magnum fructum percipere; illinc contra clades quan-
 tacunque, haud dubie exitium ei erat allatura. Itaque
 non diu dubitans, praelium vitare omnibus modis,
 (primum fortasse, quamdiu vixerat) statuit. Et quum
 alias in exercitu eius maiori, in quo robur habebat le-
 ctissimum, nunquam, praesertim ipso praesente, de mu-
 niendis castris, iniecta fuisset mentio; nec solerent in
 his, nisi aggeres tutandis peditum excubiis, et locandis
 tormentis (vt mos in bello est) duci; iam tota castra
 munimentis iubeat circumdari. Sed et hoc ipsum Fri-
 derici consilium habebat quaedam, eius magnitudini pro-
 pria, eaque cum dexteritate, tum celeritate, ad effectum
 perducebatur, cuius, in recentioris quidem aetatis bel-
 lorum historia, exemplum frustra aliquis quaesierit.

6. Centrum castrorum vno fere a Suidnitio vrbe
 milliario aberat. Omnis igitur illa regio, quam pedi-
 tatus occuparat, quandam operum et vallorum veluti
 catenam referebat; munimenta cum fossis altissimis, per
 viginti quatuor aggeres tormentarios inter se conferta;
 ante haec valli, fistucis adacti, aut cerui (*spanische Reu-
 ter*)

ter) terrae infixi; ante hos tres fouearum, fenos pedes altorum, ordines. Praeterea singuli tormentorum aggeres binas habebant foueas, puluere pyrio, globis ferreis, et pyrobolis tormentariis plenas, (*Flatterminen*) haud procul ab aggeribus ipsis remotas, et fistularum ope, cum eorum penetralibus coniunctas. Nec minus, ad firmandos aggeres, paene centum et quinquaginta tormenta e Suidnitii munimentis rex aduehenda curarat. Haec erant castra illa Bunceluitiana, castello similia, et quosuis hostium insultus magnopere impeditura. Neque vero ipsa munimenta admirabiliora, quam adhibita in ipsis efficiendis celeritas; quum formidolosum istud ac difficillimum opus non nisi triduum absumsisset, quiescente altera parte exercitus, quamdiu altera opus faceret, idque noctu et interdium, donec perfecta essent omnia. In magna planitie, qua sinistrae alae munimenta cessarent, nonaginta equitum turmae stabant, quid artes tacticae, e Seydlitii disciplina acceptae valerent, in hac loci opportunitate, magna cum virtute monstrare cupientium.

7. Iam quidem ab initio statim hostium duces aggredi regem decreuerant. Sed quum haec res gerenda esset prudenti consilio, ac veluti ad quandam formulam, haec autem propter contrarias multorum opiniones, diuersas Austriacorum et Russorum de summa re bellica ac ciuili sententias, diversum quoque belli morem, dubitationes plurimas, varios item eosque ad rem exsequendam necessarios apparatus, vno eodemque die designari ordinarique minime posset; Fredericus, hanc moram occasionem suam ratus, ad munienda, (vt modo descripsimus) castra adhibuerat. Iam ergo quum dubitationes hostium omnes solutae, in-

structa omnia, ducesque ad inuadendum ipsum parati essent; ecce! non castra amplius Boruffica, sed munitorum veluti iugum conspiciantur, quae tanquam arte magica e terra subito videbantur exstitisse. Ad haec igitur aggredienda seu insultu potius capienda nouis inuentis opus erat, et riuis humani sanguinis fluentibus, antequam in ipsis castrorum penetralibus manum conferere cum Boruffis liceret. Ad cuius coepti, belli totius, (si quod vnquam aliud,) momentum facturi; magnitudinem fortissimus quisque in vtroque exercitu plane exhorrescebat.

8. Interim Fridericus in horas praelio paratus esse, Interdiu, quo tempore omnes in hostium castris motus licebat animaduertere, miles quieti se dare; vt primum contra ingruisset crepusculum, statim tentoria miles refigere; impedimenta exercitus propius ad urbem Suidnitium mitti, chiliades omnes post munimenta in armis esse. Sic per singulas noctes pedites, cum equitibus ac tormentis, aciem instructam habere; rex plerumque circa vnum de praecipuis tormentorum aggeribus, in paruo tentorio, ei destinato, versari. Nec minus eiusdem supellex quotidiana cum impedimentis, vespera e castris abduci, mane autem reduci. Sole demum orto miles, armis depositis, tentoria denuo figere. Adhaec feruidus aëris calor, ac praeter panem, summa cibariorum penuria. Nihil, quod miles coqueret, et summum meri panis cum mera aqua taedium. Simul somnus parcissimus, eiusque paulatim augendi maior in dies necessitas, multiplicato in dies aegrotantium numero, qui cateruatim Suidnitium essent deportandi. Hinc communis omnium fremitus, atque ingens haud dubie numerus signa erat deserturus, nisi interdiu munimenta, noctu autem instru-

instructa acies fugam plane praeclusissent. Sed haec ipsa transfugarum penuria incertiores reddebat hostium duces, partim, quid sibi faciendum esset, partim, quantis quaeque castrorum Borussicorum loca praesidijs essent firmata?

9. Rex tamen partim a fame, partim ab ipso die expectare omnia. Ipse quidem de fame securus cum suis esse, propter horrea Suidnitiensia, frumento certe, et equorum pabulis refertissima. Tanto propius contra, scire, victus maxime necessarii penuriam abfore ab exercitibus hostium numerosissimis, qui, parua quadam inter montes regione inclusi, satis cibi ad temporis spatium paulo longius reperire non possent. Quindecim iam imperialibus venibant singuli frumenti modii, quod tamen immane pretium ab incolis in lucro erat deponendum. Primis tandem Russis intolerabilis euadebat haec annonae caritas, praesertim, quum rex Platenium, belli ducem, cum septem militum millibus post terga eorum, ad intercipienda curruum, com metu onustorum quinque millia emisisset. Hic enim non modo praeter hos, quatuor militum, eos comitantium, millia partim fugarat, partim mille nongentos ceperat, ac tria eorum horrea euererat; verum etiam primario iam eorum horreo Posnaniensi imminebat. Festinandus igitur iis abitus videbatur, quam maxime; et quum post assiduas viginti dierum deliberationes et consilia, nunc capta, nunc reiecta, foederati duo exercitus bis mane ad inuadendos Borussos e castris egressi, post infectis rebus, rursus ingressi essent; tandem, abiectis consiliis omnibus, profectus cum Russis Butterlinus, ipsis Id. Septembr. relicto apud exercitum Austriae cum viginti millibus Czernichefio, trans Viadrum Poloniam repetit.

10. Ingenti castra Borufforum laetitia de eorum discessu nuncius impleuit, tanquam gloriosissimam de hoste victoriam reportassent. Et quanquam vel sic regem Laudonius copiarum numero longe superabat; subito tamen omnis illa castrorum apud Boruffos ommissa defensio. Non amplius, ingruente nocte, refixa tentoria; non emissa impedimenta, non acies noctu instructa; tormenta Suidnitensia in urbem reuecta; foueae, quae puluere pyrio repletae fuerant, exinanitae, aliae, quae insidiarum causa factae erant, complanatae; cerui combusti; magna munimentorum pars diruta; iter ad loca circumiacentia apertum; castra denique necessariis ad vitam omnibus denuo instructa.

11. Neque vero diutius rex eo loco, post Ruforum abitum, quam dies quatuordecim, cum exercitu mansit, nondum finitam anni expeditionem ratus, et gerendae adhuc rei cupidissimus. Laudonius nunc contra castra munire, nec ullam pugnandi cupiditatem ostendere. Quem ut rex per itinerum susceptorum varietatem inde studeret elicere, aut aliam certe cum ipso congregiendi opportunitatem nancisceretur; castra mouit, nec nisi bidui itinere Suidnitio cum exercitu recessit.

12. Haec vrbs, quum, uti pleraeque apud Boruffos munitae, non nimis numerosum haberet praesidium, cuius praeterea magna pars constaret perfugis, aliisque hominibus parum fidelibus; etiam ipsa in se, quantumuis saepe oppugnata, aliisque rebus bello circa ipsam gestis celeberrima, tamen nequaquam erat e munitissimis. Quae incommoda partim leuaturus, partim compensaturus, magna sua peritia, prudentia, artisque militaris scientia videbatur Zastrouius, belli dux, vrbi praefectus. Huc accedebat regis vicinitas, quae ne cogitari quidem oppugnatio-

gnationem vlllo modo fineret. Neque vero tam hanc in animo habebat Laudonius, quam subitam incurfionem omnibus modis apparabat. Ad hanc exfequendam quum totam Rufforum manum obtuliffet Czernichefius, non nifi octingentos cristatos Laudonius admittebat. Prosperum rei fuceffum praefitura videbantur, partim filentium ingens in confilio tractando, partim praefecti mos, indulgendi fubinde conuiuuiis, partim denique ipfa paucitas praefidiariorum. Nam quum in munimentis difpofita efferent tormenta ducenta et quadraginta, non plures, confabat, inefse, quam centum nonaginta circiter tormentarios, qui ea difploderent. Nec praefentire quidquam Zastrouius, quin adeo fecurus effer, vt rariffime equites, qui hoftium motus explorarent, ex vrbe emitteret. Hinc optatiffima Laudonio, fine impedimento quaeque et obferuatoribus ordinandi occasio. Primum itaque per expeditos cingi vrbe iubet. Deinde ipsis Cal. Oct. fimulatum per Croatas impetum faciendum curat, quidum fit, alio loco viginti cohortes, quadripartito agmine, cum fcalis et cratibus, accedunt, nec obferuatae a quoquam, ad quatuor munimentorum exteriorum loca, circa tertiam a media nofte horam, perueniunt. Nec diu ibi cunctatae, in cryptam irruunt, factaque in exteriora munimenta irruptione, caefis, aut loco pulfis praefidiariis, quidquid tormentorum cepiffent, aduerfus vrbe dirigunt, et fic vallum interius oppugnant.

13. Quum vino adufto oppugnantibus animos addere placuiffet, omnia illi contemnebant pericula, Ruffi maxime, furioforum more, vrbe inuadebant. Ventum erat per tenebras ad praeruptum in munimentis locum, de industria excauatum, vnde pons mobilis fuerat fublatus. Hic quum impedimenti nihil illi ex-

spectassent, primi agminis scalas et crates poscere, id vero quibusdam Russorum ductoribus nimis lentum videri; hi ergo rati aequae commode voragine hominibus, atque aliis rebus, expleri, postremos urgent, ut primos antrorsum promoueant. Quo facto, miseris nimia sequentium vi in altum praecipitatis, hi super eorum corpora transeunt. Russi caedere, quidquid ipsis occurreret. In quodam vallo, paene iam conscenso, quum aliqui, ut sibi parceretur, petissent, furiosi contra Russi, id se facturos, magno clamore negant; hanc faeuitiam animaduertens Borussorum quidam tormentarius, ne inultus caderet, horreum pulueris pyrii incendit, quo et ipse cum aliquot Borussis, et hostes trecenti in aërem simul expelluntur. Vltimum impetum Vallisus, Comes, chiliarchus, Laudoniae chiliadis primus ductor, in locum quendam munitissimum, a Borussis quam fortissime defensum, facit. Hinc bis repulsis suis ille acclamat: "*Aut capienda vrbs est, aut mihi hic pereundum. Alterutrum enim ductori nostro promisi, a cuius nomine chilias appellatur. Ergo aut vincamus, aut moriamur.*" His verbis mire incensi animi; et per ipsos ductores aliquot scalis admotis, summo belli furore locus conscensus. Caeterum in tota expeditione nulla ab Austriacis tormenta ante adhibita, quam Borussica in vrbe expugnassent; solis verutis et ensibus rem gesserant.

14. Sic post trium horarum impetum, prima luce, expugnatum Suidnitium, cum tribus praesidiariorum millibus, armamentariis item et horreis omnibus, sine obsidione vlla, aut pacto, in manus hostium Friderici regis peruenerat. Laudonius, ut suos a direptione vrbis arceret, praedae loco iis centum millia semiuncia-
lium

ium (*Gulden*) se daturum promiserat; quibus promissis eatenus certe militum petulantiae obfistebatur, ut non nisi per aliquot horas praedarentur, et hac ipsa quoque praedatione abstinerent cristati Vallonici (*Wal-lolonische Grenadiers*) quos ne illa quidem Laudonii promissa admodum delectarant, vno quippe ore huic acclamantes, "ut ipsos ad gloriam consequendam duceret; se enim pecunia non egeret." Zastrouius autem, praefectus, quum deinde ausus esset, apud regem se purgare, atque urbem strenue a se defensam iactare; hic, quod sibi de tota re nondum liqueret, ampliaturum se, respondit. Grauiissimas idem causas habuerit, necesse est, quod finito bello, hunc praefectum, causam coram iudicio militari dicere non iussit, sed satis habuit, missionem ei dedisse. *)

15. Iam etsi Laudonius ingens Austriae rei commodum magno suo labore pepererat hoc, ut expugnato Suid-

*) Grauiissimae illae causae non aliae erant scilicet, nisi, culpa vacantem Zastrouium rex repererat. Nam quum ei tria tantum praesidiariorum millia reliquisset, maximam partem captiuorum, transfugarum, et perditissimorum hominum colluuiem, plures autem ac meliores petenti identidem, constanter negasset; Zastrouius denique, postquam, complures ante assultum dies Laudonius totam urbem excubiis confertissimis iam cinxerat, praemia maxima cuilibet, has clam euasuro, et regi periculum nunciaturo, incassum posuisset: necesse sane erat, urbem expugnari, praesertim quum, in ipso assultu, nonnulli ex ista praesidiariorum colluue Austriacos, e fossa in altum eritentes, sclopetis porrigendis ipsi adiuuarent, atque in murum erigerent. Haec audiui a quodam teste *Αυρόπη*, qui fuit inter eos, qui tum in illa vrbe capiebantur. *Nota interpretis.*

Suidnitio, post sex bellicas expeditiones, easque cruentissimas, primum iam in Silesia hybernare Austriaci possent; nequaquam tamen par viri meritis merces confecta, sed mala potius gratia reddita est, et parum ab erat, quin poena etiam aperta sequeretur, nisi Franciscus, imperator, et Venceslaus Lichtenstenius, princeps, quem senem patris loco Theresia Augusta habebat, omnem auctoritatem suam pro ipso interposuissent. Neque hoc fecisse contenti, ut aulae apud alios existimationi confulerent, nec vniuersae Europae, tolerandis aulicarum factionum fraudibus, deridendam ipsam propinarent, effecerunt etiam, ut ab Augusta sua Laudonius non litteras modo humanissimas, sed et munera adeo acciperet. Neque tamen ideo de vrbis expugnatione ei prorsus condonatum, propterea, quod, infalutato consilio bellico Viennensi, nec impetrata prius venia, tantam rem suscepisset; quibus ambagibus, propter adiunctam iis necessario moram longissimam, totum consilium, scilicet, irritum fuisset.

16. Caeterum omnino illa tam cita Laudonii ad summas dignitates militares euectio, eaque sine aulici fauoris aura et artibus vllis, in tali praesertim imperio, quale est Austriacum, nostra quidem aetate, sine exemplo fuerat. Idem enim summus excubiarum in chiliade Croatarum praefectus (*Croaten-Maior*), qui adhuc altero belli anno, tribunalia Austriaca circumundo, cum ab eorum scribis supplex petisset, ut ne mandata dominae ad exercitum de se mittere grauarentur, saepe cogeretur expectare, donec his commodum id videretur, idem, inquam, quadriennio post fulcrum imperii Theresiae firmissimum non minus erat, quam ab vniuersa Europa habebatur. Hic, intercipiendo Boruffis

commeatu, longe numerosissimo, Olomucium Moraviae horum obsidione liberauerat; hic omne de subito inuadendo ad Hochkircham rege consilium excogitarat; hic Fuquetum, belli ducem, fusa eius manu, ad Landshutium ceperat; hic Glacium expugnarat; hic, non Solcouius, ad Cunnnersdorfium regi magnum illud vulnus inflixerat; huic denique alia, etsi non summa, satis tamen magna commoda Austriaci ferebant accepta. Eidem iam Suidnitium captum debebant.

17. Videbatur ab initio huius tanti ducis ingenium Friderici rebus augendis a fortuna destinari, quum is, ante bellum, Berolinum, ad petendum ibi centurionis locum, venisset. Quem quum petenti rex negasset, virum, tam exigui tum pretii iudicatum, ex eius terris abeuntem, quis putasset, a fortuna destinari, vt ad omne bellum momentum faceret? Qui nisi Theresiae exercitibus interfuisset, profecto per septem annos pugnatum haud esset, et longe alios Friderici res gestae haud dubie exitus habuissent. Caeterum de consilio opprimendi praesidii Suidnitienfis certiore clam imperatorem fecerat, expositis eidem simul difficultatibus, quas cunctando et veniam petendo esset in tali re habiturus, quum nihil, nisi exsequendi celeritas, prosperum successum praestare posset, de regis autem consiliis nihil constaret, denique vel minima secreti euulgatio conatus omnes ac tentamina eluderet. Hoc rei statu quum eum imperator de venia apud Theresiam impetranda securum esse iussisset; ipse quoque primus coniugi de euentu prospero, victoriam adeo maximam aequante, nuncium ferebat. At illa, hoc auctore de gestis bello rebus nuncios minime sueta accipere, simulque suam hac in re auctoritatem violari existimans, tantum

tantum aberat, vt ab initio laetitiam proderet, vt etiam subirasci videretur; quam eius iram consiliarii bellici, a Laudonio posthabiti, magis magisque incendebant. Nec locus defensionis vllus relinquebatur; actumque de viri fortunis fuisset, nisi Francisci ac Venceslai studia, et magnus animus ruiturum fulsissent.

18. At Borufforum exercitum inopinatus de Suidnitio capto nuncius in summam perturbationem coniecerat, nec vllus vnquam casus, nulla per totum bellum clades, tam vehementer eorum animos, alias fortissimos, affecerat. Perierat iam repente fructus expeditionis aestiuæ et honorificentissimæ et molestissimæ, nec sine causa hybernæ, haud paulo molestiorem, omnes extimescebant; certe obsidionem diuturnam expectabant. Huc accedentes tristissimi e Pomerania nuncii infauftissima quæque iubebant augurari. Neque vero diu durabat hæc trepidatio, propterea, quod vniuerso exercitui constantia Friderici mox animos reddebat. Is enim quum, congregatis præcipuis militum ductoribus exposito rerum suarum statu, quid sibi accidisset, quid speraret significans, vnicuique liberum reliquisset, velletne sibi vltcrius sine spe militarem operam nauare, nec ne? nullus eorum oblata abeundi opportunitate vtebatur, omnes contra nouis aucti sibi viribus videbantur. Quanquam vero nunquam æque, ac tunc, praelium rex cum suis optarat; Laudonius tamen, quantumuis alias pugnae paratissimus, nunc certe fortuna sua contentus, neutiquam oblata eius occasione, in castris ad Friburgum consistebat, vnde et Saxonia et Bohemia, et Morauia ipsi pariter paterent. Rex contra, suis in statiuâ dimissis, Strehlae ad Ohlauiam prætorium figebat.

19. Atque hic versanti horrendum a proditiōe periculum imminebat. Varcotschius (*Warkotsch*), vir nobilis Silesius, non procul Strehla praedia quaedam possidens, quum regem salutasset, ab eo coenae fuerat adhibitus. Neque tamen haec liberalitas, videntem, quam securus de vita sua rex esset, a pessimo eius per noctem hostibus prodendi consilio deterruerat; quod sane his de causis erat longe facillimum. Primum ille praetorium extra Strehlae moenia, praesidium autem vnus modo cristatorum centuriae secum habebat, cuius non nisi triceni excubias agerent. Et quamuis intra urbem erant sex millia; tamen in subita hostium incursione, praesertim per tenebras nocturnas facta, nihil ab his auxilii erat expectandum. Deinde proxima praetorio sylua coepto inprimis fauebat, vnde non nisi velitum turmam, fugacibus equis instructam, cum duce paulo audaciori opus fuisset emittere, quae ante, quam in oppido arma sumi potuissent, captum regem abduxisset. Denique ipsa illa sylua, ad exercitum Laudonii ducens, omnibus liberandi regis conatibus, a Borussica manu fortasse suscipiendis, terminum positura fuisset. Haec omnia probe intelligens Varcotschius, consilium suum et simul rei gerendae modum cum Austriaci exercitus quodam duce communicat; cui centum aureorum (*Ducaten*) millia, praemii loco, ab hostibus promittuntur. Schmidius quidam, factorum curator, interpretem agit, ad quem epistolae vtrinque mitterentur; neutiquam caeteroqui Varcotschio superstitione ad facinus tam horrendum impulsō, quum Lutheranae sacrorum formulae esset addictus. Hic ergo quoniam venatore quodam e suis ad litteras mutuo perferendas utebatur; hic homo, variis de causis in suspicionem male cuiusdam rei adductus, tandem vnā istarum epistolarum

stolarum, quae modum ac viam vniuersi consilii continebat, apertam, statim regis manibus tradit.

20. Sic periculum longe maximum Fridericus euasit, quantum uix vllum eius vnquam capiti impenderat. Varcotschius, cum Schmidio, sceleris socio, eo ipso temporis puncto, quo ab aliquo ex ordinum ductoribus abducendi in custodiam fuerant, fuga elapsi. Proditoris bona publicata; ipsius et sacerdotis effigies per carnificem in quatuor partes dissectae. Quae iudicum sententia quum regi traderetur, vt nomen subscriberet, iocans: "*Recte quidem, inquit, istud fiet; haud dubie enim nibilo meliores sunt effigies istae suis archetypis.*" Non ita multo post copiae Borufforum per Viadri ripas a Brega Glogauiam vsque in hybernis dispositae; rex Vratislaviae praetorium fixit.

21. Quae dum in Silesia geruntur, interim Russi, numero praeualentes, Pomeraniam haud parum infestabant. Tottlebio enim, belli duce, cuius erga Bero-linenses lenitas suspectum ipsum reddiderat, in custodiam dato ac Petropolin misso, Romanzouius Colbergam rursus oppugnare iussus. Quo cum satis magna manu, Augusto mense, ad urbem progresso, classis Russica, viginti et vnus nauium modi maximi (*Linien-schiffe*), trium celocium, (*Fregatten*) totidemque pyrobolariarum (*Bombardiergallioten*) Mischacouio praefecto, Cronstadio profecto, Sueciae, nauium sex modi maximi, et duarum celocium, se iunxit, vt hanc loci non nimis magni tertiam obsidionem vtraque adiuuaret. Quem vt in potestatem redigerent, quum magni Russorum interesset, quod, eo expugnato, demum certo in Pomerania liceret illis consistere; princeps Virtembergensis, apud Boruffos belli dux, hoc ipsum omni studio

studio impediturus, cum sex militum millibus, sub ipsis Colbergae moenibus castra muniebat. Romanzouius itaque primum aduersus munita haec castra cogi brachia iniungere; idem non haec magis, quam urbem, globis plumbeis infestare quam vehementissime. Ab altera parte non segnus resisti; Dux Wirtembergensis in castris, Heydenius, praefectus longe fortissimus, in urbe apparatus convenientissimos ad arcendum hostem facere; interim pyroboli non modo e terrestri parte, verum et a maritima in urbem conici, paucis tantum per diem horis intermitti. Ineunte Octobri, vtraque classis a procella vehementer vexari, vt etiam vna de nauibus Russorum maximis, cum praesidio omni nautico, mari demergere-tur; alia autem plena aegrotantibus, (*Hospitalschiff*) forte incensa, flammis consumeretur. Quae de causa digressis ab ora Pomeraniae admodum festinanter classibus, Stetinio nauibus obsessi aduectum comitatum accipiebant, qui aliquandiu iam intra urbem ipsos defecerat.

22. Primarium aliquod munimentum, quo Borussi aegre carebant, Russi expugnauerant. Id quum vehementi certamine ab his illi recuperassent; Romanzouius, iterum eius possessionem Borussis erepturus, cruentae pugnae occasionem dedit, qua intra quatuor horas amissis suorum tribus millibus, Russi eiiciebantur.

23. Hyeme appetente, quamuis ex parte Russorum difficultates augebantur, Romanzouius tamen alacriter obsidendo pergere, auctus praesertim multis copiis a Butterlino, qui, e Silesia digressus, Pomeraniam et ipse petierat. Sed non minus princeps Wirtembergensis, Platenii, belli ducis, milite augeri, et Knobelocius (*Knobloch*) cum duobus militum millibus Treptouiam mitti, qui comitatus Colbergam deuehendos et cura-

ret et tutaretur. Plura his facere, quae sane, comparata cum hostium tam strenuorum multitudine, minima erant, Friderico ad conseruandam urbem, tum quidem per reliquam fortunae suae iniquitatem, non licebat. Nec vnquam per totum bellum studiosius aduersus ipsum Russi egerant. Knobelocius, ab octo eorum millibus Treptouiae petitus, quum per integros quinque dies oppidum, moenibus paene destitutum, intercepto commeatu omni, strenue defendisset, tandem dedere se cum suis coactus. Illa vero manus, sub Colbergae moenibus constituta, quod et praesidiariis urbis alimenta absumebat, et, in tanta hostium, indies auctorum, frequentia, parum erat urbem firmatura, et denique in campo liberiori plus ei profutura videbatur, princeps Virtembergensis, cum Platenio, relictis, quae ante munierant, castris, Stetinium profecti.

24. Iam omnia ad instruendam commeatu Colbergam tentari: Heydenius certe, ingentem obsidentium numerum minime curans, solum panem poscere. Sed quanquam in dies annona fiebat angustior, vt et milites et armati ciues iam pro binis singulas modo panis libras, in diem acciperent; tamen deditionem neutri admittere; imo Heydenio, post oblatas a Romanzouio conditiones, sententiam eorum exquirenti, respondere: *”Se, quamdiu panis cum pyrio puluere suppetat, strenue urbem defensuros.”* Platenius itaque, vtramque rem, tam necessariam iis subuecturus, cum suis mouet, sed, amissa vecturae parte, Stetinium repellitur. Etiam Virtembergensis, propius ad urbem obsessam conatus accedere, praeualentes numero hostes non potest perumpere. Ne minori quidem cum vectura clam licebat irrepere, quum Bergius, Russorum belli dux, cum va-
lida

lida manu vias inter Stetinium et Colbergam intercluserat, munimentumque aliquod Russi in potestate haberent, quod portui urbis immineret, unde etiam a parte maritima subsidia quaeuis arcerentur. Vernerio denique, qui paulo ante ingenti animo liberata urbe coeperat hoste in his regionibus multo superior esse, acciderat, ut in magna quadam velitatione ab iis caperetur. Miserat enim eum princeps Wirtembergensis cum aliqua manu, ut Russorum horreis a tergo euerfis, commeatu ipsos intercluderet. Qui, metu omni destitutus, dum, ommissa circumspeditione necessaria, nec ducis sui mandata fatis accurate exsequutus, suos patitur dispergi, post defensionem pertinacissimam, ipso numero ab hoste tandem superatus capitur. Rebus ita habentibus, etsi nulla spes obsessis restabat amplius; Heydenius tamen, quum nonnihil superesset panis, strenue pergit urbem defendere, Russis interim, quod mari omnia sibi curabant advehenda, nulla re egentibus. Medius erat December, ac summa frigoris saevitia. Praefectus ergo quum aquas muris superfundi iussisset, his ipso vitro paene magis lubricatis, Russi, quum eluctari in vallum neutiquam possent, quoties assaultum tentassent, toties, multis amissis, repellebantur. Tandem, consumto, qui superfuerat, pane omni, quem nec ignes, nec ferrei globi vicerant, Heydenius, fame victus, a. d. XVII. Cal. Ian. post quatuor mensium obsidionem, maxime memorabilem, se et urbem Russis dedit.

25. Expugnata Colberga, finem habuit, plena haec summis rebus gestis Pomeranica expeditio, in qua, Borussiae duces, quantumvis cum adversa fortuna conflictati, tamen ingentem sibi gloriam pepererant. Iam Wirtembergensis Megalopolin petebat, Platenius Saxoni-

niam, iuncturus se Henrico, regis fratri, qui per totum paene annum aduersus Daunii exercitum, ingentem, et Germanicorum principum copias hanc prouinciam defenderat. Iamque primum Russis in Pomerania et Marchia Noua, vti Auftriacis in Silesia, hyberna licebat agere; vnde patet, quantum incommodi tam breui tempore expugnatae, duae vrbes, Colberga et Suidnitium, regi attulerint. Quidquid iam commeatum Russis in Pomerania opus esset, facillime mari aduehebatur; Auftriaci contra in Silesia pedem fixerant. Ad quos vtrosque ex his prouinciis depellendos, multum sane temporis, plus sanguinis, plurimum denique fortunae secundae requirebatur. Maiori itaque etiam opum vi opus erat; quas vnde rex fumeret? Veterani milites in iis locis, vbi pugnatum fuerat, defossi passim iacebant; reditus e plerisque terris Borussicis vel nulli prorsus, vel certe parcissimi; pecuniarum Saxonicarum fontes exarescere; Britannicarum solutio negari; Dresda cum parte Saxoniae in Auftriacorum manibus esse; omnes denique hostium exercitus, longe instructissimi, ad vltius progrediendum paratos se ostendere. Rex, etsi nulla pugna victus, tamen iniquiori, quam post vllam aliam expeditionem finitam, loco versari. Sed leuabant haec mala partim perpetua militum eius fortitudo, partim nondum attrita belli ducum peritissimorum studia et labor industrius, partim fiscus nondum exhaustus, partim denique ingenium consiliis variis plenissimum. Parum etiam, spe nondum amissa, ipse amiserat. Sed tanto magis haec apud eius socios et fautores, intra Germaniam et extra, coeperat labascere. Nihil enim hi vehementius horrebant, quam ruinam principis Germanici, Protestantium omnium potentissimi, Auftriacae potentiae aemuli

aemuli formidolosissimi, qui et minorum Germaniae Ordinum iura aduersus potentiam Caesaream, iusto latius extensam, et religionem gentis aduersus superstitionem, et reipublicae Germanicae formam tueri non minus vellet, quam posset.

26. Praeter haec summa mala et maxima, quibus rex vndique petebatur, aliud ei impendebat, maius caeteris omnibus, quod ne suspicari quidem licebat. Erat tum Magdeburgi incredibilis captiuorum ex omnibus gentibus colluies, Austriaci, Russi, Francogalli, Saxones, Sueci, et in superiori Germania nati, propterea, quod haec esset munitarum regis vrbium primaria. Hic erant, qui materiam tot coniecturis politicorum iam dederunt, posteris dabunt, thesauri regii, hic tabularium vniuersae rei Borussicae, hic regis familia cum proceribus multis; hic armamentarium omnis rei bellicae primarium, hic regiarum opum veluti centrum; hic denique innumerabiles priuatorum diuitiae ac res pretiosissimae ex omnibus terris Borussicis conuectae, latebant. Neque vllum exemplum habet historia recentior, quod, fortunae vniuersi alicuius imperii, momentum in vnius vrbis vel defensione, vel iactura fuisse, doceat. Magdeburgo certe amisso, omnes reliqui hostes incassum victi, bello autem statim finis impositus fuisset. Quanquam verò tum huius vrbis praesidium ad tot tantasque res defendendas minime videbatur sufficere, quum constaret non nisi aliquot, partim indigenarum, partim extraneorum, partim perfugarum millibus; tamen tum propter apparatus ingentes ad obsidendam eam necessarios, tum propter metum oppugnationis longissimae, tum denique propter exercituum Borussicorum mobilitatem, eam

fufcipere vix cuiquam licebat. Praeterea Saxoniam, Silefiam, et quid non? Fridericus in cafum haud dubie dediffet, vt vni huic vrbi succurreret, videturque is vel numerosiffimos quosque exercitus, eam obfeffuros, in castris fiue munitis, fiue ad insultum patentibus, sub eius moenibus, fummo adeo furore aggreffurus fuiffe. Quod certe ita fore praeuifum, omnes ab eiusmodi coepto deterrebat, vt fic quidem fecurus de Magdeburgo rex effe poffet.

27. Sed quod vis, extrinsecus allata, nullo modo, id proditio, intus orta, quam facillime poterat efficere, cuius sane haud femel modus ac ratio quaerebatur. Nam quo tempore vix de periculo ibi metuendo quidquam Fridericus cogitabat, eodem Trenkius, equitum turmae ante apud Auftriacos praefectus, quem ipse fummo odio profecutus, in carcerem ibi foediffimum coniecerat, vinculorum moleftia impulfus, vrbis incurfu fubito capiendae confilia cudebat; parumque aberat, quin fortunam eius regis, quem vniuerfa paene Europa, fummis opum fuarum viribus nixa, fubigere non poterat, in fumum discrimen adduceret vir, dura vincus compede, imminenti dicatus corporis fui putredini, qui, licet viuus faxo fepulchrali infidens, pane militari eoque mucido, vefceretur, tamen, fe hominem minime humano more tractari, liquido fentiens, nihil nifi cum libertate vindictam anhelaret. Magno certe Friderici commodo tum intra confilia res fubftitit.

28. Hunc igitur quum fummi quique Europae principes conftituiffent funditus perdere, Britanniae vero rex, vnus fociorum, paulo potentior, ficcis velut oculis ruentem intueretur; ipfe tandem, in Afiam intento animo, per internuncios Turcarum imperatorem, ac
Tataro-

Tatarorum principem, adibat, illum vt Hungariam, hunc, vt Ruffiam bello aggredetur. Nam ad hanc vsque terrarum orbis partem rerum ab eo gestarum fama sic percrebuerat, vt eius nomen, non Ponti Euxini magis, et muri Sinensis, quam Gangis fluuii accollae venerabundi vſurparent. Itaque Orientis populi, ſitus praefertim et locorum ignari, obſtupescabant, principem aliquem, quem eſſe vix audierant, potentissimis Occidentis nationibus, per complures annos armis ita reſiſtere, vt perdomari non poſſet. Maxime omnium mirabantur Turcae, non ignari vtique, quam formidolosa eſſet Thereſiae potentia, quam ingentes imperii Ruffici opes, quantum denique Suecorum belli virtus ac ſcientia olim effeciſſent *). Qui omnes, adiuncto praefertim Franciae rege, quomodo non ſufficerent, ad ſubigendum vnum, prope regulum, id plane ſe negabant aſſequi poſſe. Atque etſi regum ac principum, tum bellantium, legati, a Turcis Constantinopoli ea de re interrogati, culpam in fortunae mutabilitatem ſtudebant reiicere; tamen adeo non ſatisfaciebant illa reſponſione, vt hi maioris in dies Boruffiae regem facerent, inituri haud dubie, (vt videtur), quum induciarum, cum Auſtriacis pactarum, finis tum impenderet, ſuis ipſorum commodis incitati, a. MDCCLXI foedus eum rege Boruffiae, niſi Francogalli, quorum a nutu ſupremi Turcarum ſenatus conſilia perpetuo reguntur, eam rem impediſſent.

Q 4 29. In

*) Achmet Effendi, Turcarum ad aulam Berolinenſem, a. MDCCLXIV. legatus, quum e Borufficis ordinum ductoribus quendam interrogaret: *Annon bello ſeptenni omnium Boruffici nominis hoſtium formidoliſſimi Sueci fuiſſent?* eo id pernegante, obſtupefacto admodum ſimilis videbatur.

29. In Vestphalia, vbi propter ingentem hostium numerum Ferdinandus non nisi defendendo agebat, propter euerſa autem horrea Francogalli, in ſtatiuis detinebantur, media demum æſtate ad arma ventum. Primus exeunte Iunio mouit Solbiſius, Rhenum tranſgreſſus cum exercitu, et Monaſterium verſus progreſſus, donec Carolo, Brunſuicenſi occurreret. Ab altera parte Brolius, Caſſellis profectus, vt, iuncto ſibi Solbiſio, ſociatis viribus Foederatos aggredereſſetur, quum incidifſet in Spoerkenii, Hanoueranorum belli ducis, manum; hic, ne cum tanto exercitu pugnare cogeretur, pedem retulit, relictis hoſti captiuus octingentis, tormentis vndeuginti, et centum ſeptuaginta curribus.

30. Neque tamen interim Ferdinandus otioſe agere, ſed caſtellum Marburgenſe ac Zigenhaynam oppugnare, quam in urbem, intra duodeuginti dierum ſpatium, mille quingenti pyroboli coniecti. Inceſſa quamlibet vrbe, praefidium tamen fortiter reſiſtebat; cui rei quum acceſſiſſent imbres perpetui, qui brachia iniungere munimentis non permitterent, vtraque tum quidem ſoluta obſidio; continuatum contra ea, ſummis viribus oppugnari Caſſellas, quae vrbs Martio iam menſe a Foederatis coepta erat obſideri. Huic praefectus Brolius, Comes, Ducis frater, longiſſimae deſenſioni paratus, quum magnam carnis equinae copiam condiendam curafſet, iam quoque, complanatis ante urbem hortis amoeniſſimis, nihil non ad arcendos hoſtes tentabat, idque eo euentu, vt quatuor poſt iniuncta brachia hebdomadibus obſeſſores ab oppugnatione deſiſterent. Ferdinandus interim per leuioris armaturae militem laceſſitis perpetuo Francogallis, euerſis eorum horreis, recens conſtitutis, et intercepto commeatu, Brolium tandem

tandem impulit, vt, adiunctis sibi Solbifii copiis, Foederatos ad praelium committendum cogeret. Quo eius consilio intellecto Ferdinandus statim munita ad Hohenoueram castra ingressus est; in quibus quum Brolius, ipsis Idib. Iul. magna tormentorum vi ac numero eum inuasisset; vsque ad noctem eo die pugnatum est ita, vt repulsi Francogalli dumeta prope Salzbacum peterent. Postridie redintegrata a Brolio pugna, vterque Francogallorum exercitus, acie instructa procedens, post horrendos ignes, e tormentis pariter et sclopētis vtrunque per quinque horas emissos, tamen ne latum quidem pedem promouerat, donec Foederati, occupato quodam colle, eos, perturbatis ordinibus, repulso, relicti, qui occisi et vulnerati erant, etiam tormentis plurimis, terga dare cogerent, magnum autem numerum, inprimis chiliadem Rubram (*Rouge*) quae appellatur, integram caperent. Quae interim cum Carolo Brunsvicensi manum conseruerat, Francogallorum ala dextra, et ipsa, omisso certamine, pedem referebat. Caeterum persequi fugientem hostem, eaque re splendorem victoriae addere, per loci naturam equitatu non licebat. Francogalli hoc praelio amiserant caesorum, vulneratorum et captorum quinque millia, Foederatorum trecenti perierant, mille vulnerati erant. Paucis post diebus, Albertus Henricus, princeps Brunsvicensis, non multo ante ad exercitum profectus, vt magna patris et fratris maioris exempla sequeretur, in parua velitatione tam mortiferum vulnus accepit, vt ne duo quidem chirurgi peritissimi, a Solbifio in castra foederatorum transmissi, generosum iuuenem seruare possent.

31. Neque tamen Ferdinandus, praeter victoriae laudem, quidquam e pugna ista commodi percepit;

quum exigua in tanta hostium multitudine, eorum iactura esset; tentassentque iidem haud dubie alias rationes, quibus Foederatorum copias, parum numerosas, duplici exercitu premere videntur potuisse, nisi Francici duces vehementer ipsi propter veteres similtates inter se dissensissent. Statim itaque a praelio digressi, redductis exercitibus; Brolius Castellam petiit, Solbifius trans Rohriam reuertit. Brolius, dum equo speculandi causa regionem obit, paene captus, vno iam velitum Borufficorum, quos Nigros vocant, dum vepretum equo transfilit, eius laciniam arripiente; sed equi Boruffici lapsus effugiendi spatium Brolio dabat; decem vero eiusdem adiutores cum ducentis equitibus, eum comitatis, capti. Paucis ante diebus eandem paene sortem expertus erat Carolus Brunsvicensis, Francogallorum positum ad Vnam exploraturus, cui, ab his circumuento, et gladius suus et comites viam per hostes fecere,

32. Quum hostes rursus vtrinque propius venissent, Ferdinandus et ipse, vt vtrumque exercitum obseruaret, partiri suos coactus. Brolius quidem conari, terrarum Hanoueranarum occupare quantum posset; Solbifius Monasterio imminere. Sed hunc attente obseruabat Carolus Brunsvicensis; qui Dorstena occupata, vbi magnum horreum erat cum panificio castrensi, his omnibus euersis, furnis centum amplius comminutis, praesidiarios in deditioem accipiebat. Quo facto trans Lippiam se recipere coactus Solbifius.

33. At Brolium Ferdinandus quum propter copiarum eius frequentiam a terris Hanoueranis arcere non posset, varias in locis iniquis pugnandi occasiones obiiiciens, in proximo semper erat; ille contra studiose omnes vitabat. Quos ergo huius progressus vi impedire

dire Ferdinando non licebat, eosdem fraude inhibiturus, quam celerrime in Hassiam profectus, comœatu Francogallos inde intercludebat. Haec ei fraus tandem visa succedere. Nam Brolius statim Hassiam repetebat; Ferdinandus contra Paderbornam, Francogallos obseruaturus, an forte denuo in Hanoueranæ regiones conarentur irrumperè? Carolus Brunsvicensis contra, Monasterio nihil amplius habens, quod timeret, maiori rursus exercitui adiungebatur, euersis in itinere Francogallorum horreïs, quæ in oppidis patentibus reperisset.

34. Solbifius interea Lippiam iterum traicere, ac Vestphaliam peruagando crudelissime vastaturos, Brolius contra in syluam Hercyniam, pecunias maximas exacturos, emittere; Xauerius denique, Saxo, Guelferbytum obsidere, cui vrbs, per dies quinque pyrobolis infestata, se dedidit. Eodem Brunsvico imminente, duo Ducis Brunsvicensis filii, vrbi patriæ auxilio profecti, post acrem pugnam obsessores abigunt, vt, desideratis suorum amplius mille, et amissis aliquot tormentis, non modo obsidionem soluerent, verum etiam Guelferbyto discederent.

35. Sic a Solbifio emissis, Osnabruga capta, incolas, quod immanem pecuniæ vim soluere non statim possent, crudelissime tractant. Alii Embdam, non nisi duabus Britannorum inualidorum firmatam centuriis, occupaturi, antè vrbs portas adfunt: Britanni, partim Francogallorum pollicitationibus, partim trepidantium incolarum precibus moti, urbem dedunt. Sed hoc facto, posthabitis promissis, immensa ab omni Frisia orientali pecuniæ vis exigitur. Cuius summae, quæ vires ciuium longe vinceret, magnitudine non minus, quam

quam exigendi faeuitia populo ad desperationem redacto, rustici coeuntes, et, vtcunque licebat cuique, armati, barbaros hostes adorti, ex vniuersa regione quum eiecissent; multi deinde, alia Francogallorum caterua eo missa, laqueo huius defensionis poenas dederunt.

36. Dudum quoque Breae, liberae Imperii ciuitati, Francogalli imminuerant; cuius et opportunus ad Visurgim situs, et magnitudo, et opes, et maris vicinia, ad ipsam occupandam inuitabant. Accedebat huc, quod ibi multa essent Foederatorum granaria, quod haec maritimo com metu facile impleri possent, quod denique hinc Stadam via facile pateret. Quum ergo in occupanda Francofordia ad Moenum, Francogalli exemplum ciuitatis liberae, sicubi opus videretur, per vim hostilem subigendae exemplum dedissent; de hac autem vi facta querelae apud Imperatorem tum vix admitterentur; fama de Francogallorum faeuitia, huiusque exempla, in omnibus vicinis regionibus obuia, mouerant incolas, vt mallent extrema experiri, quam tali hosti urbem tradere. Vnde quum Francogalli eius expugnandae consilium cepissent; cum detrimento inde repulsi, quam celerrime pedem referunt; Ferdinandus, vt similes conatus eo certius auerteret, praesidium, submissis aliquot Britannorum cohortibus, firmat.

37. Interim operam Francogalli dabant, vt in prouinciis, a se occupatis, quacunq; ratione, necessitatibus suis prospicerent. Sic imperatum Hanoueranis, vt, quoniam horrea Francogallorum abundarent muribus, ingentem felium vim collectam sisterent. Quae quum includi se difficillime paterentur, noua vulpium et erinaceorum imperata collectio. Gottingae sutores, qui operam suam hostibus non probassent, palam in foro,

ro, inspectante futurorum reliquorum corpore, verberibus mulctati. Vnde eius Academiae ciues, vt quieti agere possent, cum aliquot professoribus, magno numero Clausthaliam se recipiebant.

38. Hyeme appetente, quum iam Nouember esset, nec tamen solito Brolius feruore agere videretur, sed, emissis aliorum cateruis pluribus, in castris ad Einbecciam munitis immobilis persisteret, Ferdinandus, imminutas eius copias, et abesse Solbifii exercitum, videns, praelio volebat decernere. Sed, quidquid eum in finem tentabat, irritum plane erat. Quum ergo in castris munitis eum aggredi temerarium videretur fore; simulabat, se a Gottinga eum velle intercludere. Itaque hanc urbem, maximi Francogallis ad bellum momenti futuram, et lectissima cristatorum Francicorum (*Grenadiers de France*), quinque millia in praesidio habentem, corona cingebat. Praeerat cristatis Valsius, (*de Vaux*) senex, qui vndeuginti iam obsidionibus interfuerat, nec brachiis minus, quam cruribus, e vulnorum multitudine, claudicabat. Hic aptissimos quosque ad obsidionem tolerandam apparatus facere: ipsa anni senescentis tempestate adiuuari: intumescere amnes; morbi denique in Foederatorum exercitu, cum milites, tum equos plurimos conficere, ita, vt propter horum cadauera, quibus viae publicae erant quasi constratae, ne aduehi quidem necessaria possent. Quum praeterea commeatus in integros sex menses in vrbe superesset, potiendae quidem eius spem Foederati abiiciebant; sed tamen, quod voluerat Ferdinandus, hoc pacto consequebatur. Nam Brolius, exercitum in hyberna circa Cassellas, Solbifius suos trans Rhenum inferiorem reducebat, cuius et hi per ripas hybernabant. Tandem Foederati

derati quoque, relicta ab hoste Vestphalia iam tutiores, per hanc ipsam hyberna militum dispertiebantur.

39. Iam Ferdinandus, vt euerfa a Francogallis in Vestphalia ac Frisia Orientali granaria restitueret, operam dare omnem coepit. Factum id coemenda mature partim in Britannia et Belgio, partim in maris Baltici portibus frumentorum, commeatusque omnis, in vsum exercitus et prouinciarum vastatarum, magna copia; sine quo consilio, quod non parum adiuerant prompti semper ac parati aurei Britannici, cum summa rerum omnium inopia miseris illis terris luctandum profecto fuisset.

40. Inter haec Austriaci pariter ac Russi, quas Borufforum ceperant prouincias, harum sibi possessionem firmare in dies, in quibus hybernare nondum ipsis licuisset. Austriaci quidem Silesiam iam haud dubie pro sua habere; hinc frumenta incolis regionum expugnatarum ad sementem eius anni offerre, Schmidebergae mercatum singulis hebdomadibus instituire; mercatores etiam ex montanis vrbibus Pragam conuocare, cum quibus commerciorum instituendorum causa colloquerentur. Et quum, ineunte anno, de conuentu, Augustae Vindelicorum, pacis causa habendo, facta esset mentio, adeo, vt etiam Russorum et Austriacorum legati iam designati, singulisque suum dementum definitum esset; nihil tamen hos apparatus consecutum erat, iamque de pace ne verbum quidem amplius.

41. Sic Fridericus, auxiliis omnibus, et ipsa paene spe destitutus, constanti animo imminentem sibi perniciem exspectabat, quam euitari iam non posse amplius cerneret. Quamuis enim, si victoriarum vel plurimum

certa spes ei fuisset, progressus hostium licebat paulisper morari, tamen ad recuperandas vrbes munitas opus erat longis, nec impeditis ab vlla parte obsidionibus, et integra victoriarum serie, quam nulla clades interromperet. Quem igitur rebus tam iniquis belli, per annum proximum gerendi modum secuturus rex fuisset, nemo dixerit. Hoc certum est, eum vel reiectum plane, vel maximam partem immutatum fuisse, postquam ei noua lux affulserat. Quae enim summo huic principi tot iam occasionibus arriserat, quae, confirmato ingenti eius animo, hostium quorumuis spem atque expectationem deluserat, fortuna, eadem summum beneficium in illud temporis punctum referuarat, quo rex idemque philosophus, horrenda vndique hostium cinctus multitudine, fato suo lubens vellet succumbere. Neque enim ab hostibus iis, qui securi suae apud posteros existimationis, omnibus regnorum potentissimorum viribus intentis, giganteo veluti foedere, ad vnum opprimendum concurrissent, magnitudinem animi vllam aut aequitatem, immo certissimum imperii Borussiae excidium et finem expectasset. Non erat autem is Fridericus, cuius animus vana spe lactari posset; vnde curae interdum ac sollicitudines pectus obruebant. Ad omnia tamen bene praeparatum animum habebat. Ne in eum quidem casum suis quidquam mandarat, si quando sibi accidisset, vt ab hostibus caperetur; sed venenum, hoc ipso quoque anno, secum tulerat, quo extremos aduersae fortunae ictus anteuerteret. Hoc, non minus memorabile, quam alias incognitum, Quintus Icilius, chiliarchus, ei familiaris et quotidianus conuictor, literis prodidit.

 LIBER VII. ANNVS 1762.

CAP. I. Hoc tam sollicitudinis pleno tempore veredarius Friderico nuncium affert, Elifabetham, Russiae Augustam, a. d. VIII. Cal. Jan. MDCCLXII. e vita discessisse. Quo vnus veluti personae abitu omnis theatri bellici scena repente mutabatur. Turbatis enim subito sociorum consiliis, rescissis belli gerendi formulis, extincta hostium Borussiae spe omni, elusis denique aularum artibus vniuersis, Russi, Borussiae paulo ante propter vastandi saeuitiam hostes formidolosissimi, vno noui imperatoris sui nutu, Friderico amicissimi euaserant. Nam quanto hunc odio Elifabetha erat ante profecuta, tanto iam in eundem amicitiae studio Petrus III, illius successor, ferebatur. Nihil itaque sibi prius et antiquius habebat, quam, vt de sua voluntate eum certiore per litteras faceret. Has litteras statim secutae induciae, inducias pax, pacem foedus, foedus arcanum litterarum commercium, tandem summa ac paene immensa virtutum regis admiratio, quae variis omnino sese modis exferebat.

2. Quae omnia quum praeuidisset Elifabetha, magna feueritate, adhuc moriens, continuari bellum iusserat, efflagitato a supremo Russiae senatu promisso, se pacem cum Borussiae, dissentientibus sociis reliquis, minime facturos. Vix tamen exspirarat, quum pax conuenit. A Russorum itaque copiis apparatus ad relinquendas Borussiae, Pomeraniam, et Marchiam No-uam fieri, Colberga, vix expugnata, reddi; captiuum milites dimitti; et manus Russorum, Czernichesio duce, apud Auftriacos militans, inde reuocari; Petrus denique

denique ipse iam pacem verbis commendare grauissimis; quae quum Viennae, non nisi durissimis conditionibus videretur admitti, statim Czernicheus, ad regem, cum viginti suorum millibus transire, eique iubenti simpliciter parere iussus.

3. Haec ipsa vero res, quod a parte Borufforum, quos a sexennio inde infestis omnes armis petiissent, eadem copiae iam starent, non Boruffis magis, quam Austriacis, somnii instar habere videbatur. Austriaci quidem ab initio plane fidem non habebant, vt etiam captiui inter eos ordinum ductores, Vratislaviae versantes, et, quae fierent, suis oculis contemplantes, suis auribus audientes, fictum hunc rumorem putarent esse, militum Borufficorum animos firmaturum; et postquam Czernicheus ipse, nec non alii Russorum duces bellici, ab exercitu suo profecti, Vratislaviam, regis salutandi causa, magno cum comitatu venissent, erant adeo inter captos Austriacorum belli duces, qui fraudem hanc meram, nec Russicos istos duces, lemnicis Ordinum Russicorum insignibus ornatos, verum Borufficos ductores, vestitu simulato, esse dicerent *). Sed quum Iunio mense manus Russorum ipsa regis exercitui se coniunxisset, omnis scilicet cessabat dubitatio.

4. Longe alia iam hinc belli facies, liberatis iam hoste quolibet, a Vratislavia inde ad fines Russiae vsque Friderici terris omnibus, et omni irruptionis ac vastatio-

*) Mira haec iudicia ferentes ipse auctor, qui tum Vratislaviae hybernabat, non sine admiratione audiuit. Ea indicio erant, quam parum hostes magnum eius regis animum nossent, cum quo tamdiu bellum gesserant.

vastationis metu cessante. Nam et Sueci, defessi bello, ac Russos iam veriti, Maio mense, pacem cum Boruffis inierant. Petrus praeterea, qui veste militari Boruffica usus, Friderici imaginem saepe, videntibus Russis, exculabatur, ac veluti dominum suum illum habebat, quum ipse ei magno cum exercitu se decreuisset adiungere, nemo non, summa quaeque expectanda esse, arbitrabatur.

5. Tanta spe tamque laetis auspiciis expeditionem anni MDCCLXII Fridericus exorsus, etiam, Fridericum Guilielmum, ex fratre nepotem, tum adolescentulum, bello primum interesse iussit, quod ante hunc, omnes regiae domus principes, nullo excepto, fecerant. Qui quum castra sequerentur vniuersi, exemplum regiae domus per omnes suas stirpes dederant, cuius nullum simile litteris vnquam proditum exstat. Princeps ille certe, tum perpetuus regis lateri, per pericula quaeque comes adhaerens, tanti magistri disciplina ingenium militare excolebat, cuius post Bauarico bello magna edidit specimina, quo ipse Fridericus futuri heredis sui dotes bellicas merita laude extulit.

6. Tum vero Fridericus, qui vicisse humanam conditionem videbatur, commisit, vt, ab ipsa vicissim victus, magno redimere illam victoriam suam cogere-
tur. Minuebat scilicet apud eum habendi ad bellum reliquum noui fociiis spes curam suorum militum, tanta virtute eminentium, quos tum primum donatio hyberno (quod vocant) fraudabat. Hae enim pecuniae, quibus ingens ductorum, minus fortunatorum, ac solo stipendio viventium, in exercitu numerus, ad parandas sibi expeditionis proxime futurae necessitates, carere vix poterant, iam nulla re urgente, imo, noua fortunae

melio-

melioris spe facta, his subtrahebantur, ne commemorata quidem causa vlla, vel certe causae specie, cur tam necessarium, tam aequum, tam iustum denique beneficium, sub quamlibet alias hyemem distributum, iam militi, tam patriae, quam regis amantissimo, negaretur. *) Contra ea seuera per exercitum edicta audisces, de pompa inani et minutiis. Sic, quum per totum antea bellum in itineribus gladio pro hasta (*Esponsions*) ordinum ductores essent vsi, quae nec inuadendo hosti, nec defensionem est idonea; hac iam, ad pompam, quauis occasione vti iubebantur; quod idem fiebat in aliis minutiis, quae, nunc demum coeptae vrgeri, tranquillum ac securum belli ducem prodebant.

7. Austriaci, missa ad exercitum principum Germaniae, satis magna manu, quidquid habebant militum, contrahebant in Silesiam, in qua iam tractus montanos, Clacium, ac Suidnitium tenebant. Cuius vrbs obsidionem quum expectarent quam certissime, ad eam tutandam apparatus quam studiosissime fiebat. Per totam hyemem multa et rusticorum et militum millia opus iussi facere, quo collis quilibet circa Suidnitium castelli firmitatem haberet. Ipsa montium iuga arcarum complanatarum feriem, munimentis distinctam, referre videbantur. Nec minor in ipsis vrbs partibus

R 2

munien-

*) Inferiores ordinum ductores singuli *quinquagenos*, centuriones *quingenos*, et sic porro, imperiales acceperant, qua pecunia solebant equos denuo emere, et reliqua belli instrumenta resarcire, quae superiori expeditione periissent. Centuriarum praefecti eadem gregario militi necessaria coemebant. Vnde patet, iustissimum hoc beneficium fuisse,

muniendis cura adhibita. Inerant lectissimorum militum duodecim millia, eaque cibus, com meatu, et necessariis omnibus abunde instructa. His praefectus Guasco, belli dux, et virtute, et rerum militarium peritia insignis, eique adiutor datus Gribavallius, architectorum militarium per Europam facile princeps.

8. Haec Suidnitii facies, quum rex in circumiacentes eam urbem regiones, cum suis, iuncta sibi Rufforum manu mouerat. Sed quum, exeunte demum Iunio, fieri potuisset illa coniunctio, mora sane quaedam bello erat iniecta. Rex tamen Neovidensem, (*Neuwied*) belli ducem, cum delecta manu in Bohemiam misit, quae Austriacos, nisi horrea post se posita euerti vellent, e vicinia Suidnitii cogeret discedere. Quae in ea manu erant Cofaccorum duo millia, suo more circumvagati, vsque ad Pragae adeo portas accesserant. Quo tumultu, a tergo hostium excitato, etsi rex fore sperarat, vt Daunius e collibus, ad Burkersdorfium fitis, descenderet, hic tamen immotus ibi persistebat. Itaque ex Bohemia regresso plurima cum praeda milite Borussico, apparatus ad obsidendum Suidnitium fieri coepti; ipsam tamen obsidionem suscipere, Austriacis munitos montes adhuc tenentibus, minime licebat; quos inde deiicere erat periculosissimum; certe, si res tentaretur, euentus longe incertissimus.

9. Hoc rerum statu, ecce! repentina iterum Ruffici imperii mutatio accidit, deiecto imperatoris dignitate, qui vix tanti imperii habenas capefferat, Petro III. Is breuissimo imperii tempore, sequendis praecipitanter nouis consiliis, ferendis inconsiderate legibus, et parum caute per omnia versando, omnes nationis illius ordines in se concitarat. Sacer certe et militaris,

ris, quorum huius iuribus, illius barbibus ille infidiabatur, quanquam raro alias concordēs, tamen odio in Petrum amicissime conspirabant. In eo se tanto rectius putabant agere, quod is Senatū imperii neglexisset, nobiles contempsisset, plebem pro nihilo habuisset, Germanos Russis praetulisset, eosdemque, his exclusis, corporis custodes fecisset, nec denique se imperii legibus, sed has sibi, subiecisset. Quae omnia etsi is optimo consilio faciebat, modus tamen rei gerendae a vera prudentia erat longe alienissimus. Adhaec quum populus, (sane quid sibi vellet, ipse nescius) optaret continuationem belli eius, cuius, quum plurimum et pecuniae et militum absumeret, successus vel prosperrimus tamen tam vastae imperii moli parum additurus videbatur; ille audacter huic vniuersorum voluntati obstitens, quamquam et ipse bellum spirabat, tamen non aduersus Boruffos, sed cum his aduersus eorum hostes, atque Danos insuper, volebat geri. His omnibus coeptis, consiliis ac decretis, Russos irritantibus, accesserat asperitas erga coniugem, quae, domesticorum incommodorum veluti disciplina subacta, magnum ibi ingenium aluerat, explicandisque raris naturae suae dotibus vniuersae gentis animos iucundissimo amoris vinculo sibi devinxerat. Hanc se repudiaturum, quum palam dixisset Petrus, iamque coenobium destinasset, in cuius tristissima solitudine reliquam illa vitam transigaret; ne filium quidem, ex ea natum, successorem volebat admittere; tanto studio in exitium iam per se ruens, praecipue etiam ferebatur! Tali rerum statu, ut imperio tyrannus exueretur, non nisi nutu Catharinae coniugis opus erat. Quae ne ipsa tandem sibi deesset, inuita iecit aleam, et paucis ecce! horis imperator potentissimus, cuius verba a Baltici maris inde ora ad

Oceanum Meridionalem, oraculorum vim apud omnes habuerant, desertus ab omnibus, deiectus sine sanguine, captivus sine spe libertatis ulla iacuit; Catharina contra omnium ore immensi paene imperii Russici Augusta salutata est. Petrus, quum sollempniter imperio se abdicasset, sexto post die animam efflauit.

10. Accidit magna haec res, propter subsecutum Catharinae imperium longe gloriosissimum, in annalibus Russorum perpetua memoria dignissima, a. d. VII. Id. Iul. quo tempore, quod senatus ac populus bellum aduersus Borussos denuo anhelabant, noua in eam rem edicta scribebantur. Haec sequebatur aliud, post. Id. Iul. quod omnes ditionis Borussicae ciues, in occupatis per Russos provinciis, nouae Imperatrici sacramento iubeat obstringi. Quae omnia, vt fierent, haud dubie effecerat falsa opinio, qua gens Russica crediderat, Fridericum Petro infesta illa cunctis nouarum rerum consilia suggestisse. Ne ipsa quidem Catharina eum sibi amicum putabat. Nam etsi, vtpote nata ipsa in Pomerania, patriam, tam misere praefertim vastatam, non oderat, tamen, communi abrepta impetu, consentiebat, vt *peffimus iste Russorum hostis*, (sic enim in edicto Fridericus diserte appellabatur) tandem plane perderetur.

11. Sic animatis vniuersis, decreto rursus bello, et emisso de Borussiae incolis, nouo sacramento adigendis, edicto, dum postridie Petri, vita functi, chartae priuatae perlustrantur, Friderici litterae omnes in admirationem rapiunt, scilicet, quibus longe alia, quam putarant, reperiunt. Continebant enim sapientissima reipublicae recte gerendae consilia, et monita, quibus eum ille obsecraret, vt sibi ipsi primum imperaret.

Diffua-

Diffuadebat ei contra opinatus hic Ruffiae hostis, no-
uandi res veteres quasque studia, ciues irritantia.
Ne ipsa quidem Catharina habebat, quod eius de ipsa
iudicium accusaret; quum coniugem eius obtestatus
esset, vt, si illam vere amare non posset, ita coram
aliis tractaret, vt certe magni habere videretur. Haec
lecta lacrymas Catharinae expressere; senatores, qui
aderant, obmutescere; odium regis illico exstingui;
de renouando bello decreta reuocari; pax semel facta
confirmari.

12. Erat autem in eo cum maxime Fridericus,
vt montana Aufriacorum munimenta per vim aggre-
deretur, quum horrendum de Petri III. fato nuncium
accepit, quem paulo post litterae, ad Czernichesium
datae, sequebantur, quae eum abire cum suis ab exer-
citu Borussico iuberent. Haec audienti regi verendum
sane erat, ne, mutata aulae Petropolitanae sententia,
paucos post dies haec ipsa manus vel hostibus iuncta,
vel seorsim, aduersus ipsum pugnaret. Sed quanquam
haec viginti Rufforum millia sic in potestate habebat,
vt exarmare vel inuitos posset; tamen fecit alia om-
nia, eosque cum omnibus voluntatis amicissimae signis
dimissos, in itinere non secus, ac si ipsum adhuc bello
iuuarent, quamdiu intra regis terras commorabantur,
necessariis omnibus instruendos curauit. Qua ille ani-
mi magnitudine effecit, vt bellici eorum duces inuitis-
simi ab exercitu Borussico distraherentur, Czernichesium
autem non sine summo dolore a Friderico discederet,
a quo etiam largissime insuper donatus est.

13. Caeterum de parando Rufforum discessu et hi
ipsi, et Borussi celati, qui nec magis in Aufriacorum
castris innotuerat. Et quum ad sustentandum in iti-

nere tantum exercitum necessarii essent aliqui certe apparatus; breuissimo hoc tempore ita rex utebatur, ut vel ex hoc solo belli artificem agnosceres. Decreuerat enim iam sine mora Austriacorum munimenta aggredi, partim, quod adhuc haberet id commodi, ut Russi in acie simul stantes, ab Austriacis laceffiti se defenderent, partim, quod Daunium, certo sciret, parte exercitus his opponenda, copias suas imminuturum, partim denique, quod Russorum abeuntium oculis specimen aliquod insignis virtutis Borussorum bellicae, ac dexteritatis vellet obiicere. Itaque, quum a. d. XIII. Cal. Aug. statim ab ingruente nocte, tormentarius agger, in planitie, munitis montibus opposita, strui coeptus esset; ubi ante nec castra Borussica, nec stationem ullam quisquam viderat, ibi vna illa nocte aciem instruxerat exercitus, qui, simul illuxisset, praelium statim inire posset. Stabat ingens agger, instructus quadraginta quinque pyrobolis tormentariis, (*Haubitzen*.) ita, ut paucis horis e terra exstitisse videretur. Ut primum dispicere licuit, horrendos Borussi pyrobolos e tormentis emittere, quibus equitatus Austriacorum, inter montes in vallibus constitutus, quum recta peteretur, disturbatis ordinibus ad interiora montium reiectus est. Iam ipsa munimenta partim pyrobolis innumerabilibus, partim instructo milite inuadi; cui labori periculossimo destinabatur, Moellendorffio duce, chiliadum Borussicarum robur lectissimum; quarum progressum nec montium praecipitia, cum aggesta humo ac foveis, nec valli cum tormentis, colli cuique castelli speciem circumdantibus, retardabant. Vbicunque pes figi posset, ibidem impetus fieri. Paulo lenior ad hos montes aditus Moellendorffio contigerat; quo ille in rem suam statim usus est. Nam quum propter loci difficultatem equis eo conniti non liceret, de chiliade principis

pis Borussiae (*Cronprinz*) gregarii manibus arreptum tormentum aliquod in montem tollebant. Fugientibus igitur vndique hostibus, montibus omnibus quatuor horarum spatio expugnatis, mille quadringentis Austriacorum interfectis, octingentis captis, cum haud paucis tormentis, hostes ad exercitum suum primarium repulsi. Quae dum gerebantur, omnes tam Russi, quam Borussi, quantumuis a pugnae loco remoti, tamen sub armis erant, vt maiorem hostium exercitum, nihil tum quidem agentem, obseruarent, Russorum ducibus praecipuis interim regem, in vallium planitiae pugnantem, comitantibus. Hoc insigne belli erat spectaculum, quo veluti viatico rex abiturientium Russorum animos instruxerat: quorum quidem opera, paucis illis hebdomadibus, quas apud exercitum eius transfegerant, ei vere gloriari licebat, se nunquam usum fuisse. Nam, exceptis Cofaccis, qui cum Neouidensi, belli duce, in Bohemiam irruperant, omnis illa Russorum manus otiosa in castris egerat, nec Russorum cuiusquam sanguis pro rege fluxerat, qui, vt ante, ita nunc etiam, suis solius viribus cum hoste confligebat.

14. Postridie huius pugnae, a. d. XI. Cal. Aug. Russi a Borussis discessere; ductores quidem inuitissimi, quod nunquam in posterum sub tanta belli disciplina se fore praeuidebant; at gregarius miles eo lubentius, quia praeter panis demensum, (quod statim tempore dabatur) caeteris alimentorum generibus carebat, quae paruo stipendio suo non poterat sibi comere; praedari autem in Silesia tum quidem haud licebat amplius. Binae certe in singulos dies panis librae, sine aliorum ciborum additamento, Russicos stomachos minime fatiabant. Itaque famelici hi milites,

R 5

quoties

quoties ductorem ordinum e Boruffis confpexiffent, vultu triftitiam praeferente, os fuum digito oftendebant, nonnulli quoque fubinde ad panem petendum veniebant in castra Borufforum, vbi, fi ipsis contigiffet, vt aliquorum mifericordiam ad eum porrigendum commouerent, grati ad horum genua prolabantur, et, tanquam praeda potiti, auolabant.

15. Daunio per infelicem ad Burkersdorfium pugnam, a Suidnitii communionem penitus interclufo, rex, cui iam via eo vndique patebat, apparatus hinc extremos ad hanc urbem oppugnandam fecit, quae etiam a. d. VI. Id. Aug. coepta est obfideri. Aduocatus igitur Vratislauiæ Tauencinius (*Tauenzien*), qui exercitui obfessori, hoc est, peditum viginti cohortibus, equitum autem aliquot chiliadibus, quae magnum tormentorum numerum fecum ducebant, praefet. Obfessorem exercitum tuebantur alii duo, quorum alteri rex, alteri Dux Beuerenius praerat; ipsa autem obfidio, partim propter aggrediendi ac defendendi artificia, partim propter diurnitatem, partim propter alias causas, totius belli haud dubie erat memoria dignissima. Vnum maxime tum accidit, quod nondum vsquam constat accidisse. Erant duo architecti militares, Gribauallius et Faber (*Le Fevre*), ille defendens urbem, hic oppugnans; ille Ludouico XV. (qui eum propter summum ingenium militare Austriacis miserat) hic Friderico regi militans, vterque amici, et editores librorum militarium; vterque suum de urbibus obfidendis systema, libris comprehensum, defenderat. Vtrique ergo iam licebat, (quod raro alias solet contingere) praeceptorum suorum veritatem vsus disciplina, inspectantibus paene populis omnibus, firmare, quum

iis exsequendis veluti materia, hoc est, humana corpora, ferrum, ac puluis pyrius, vtrique suppeditarentur. Faber, quod promiserat, se cuniculis agendis maxime urbem, idque breui tempore, expugnaturum; id non praestitit, immo veteri ratione et formula maximam partem deinde vti necesse fuit. Incredibilis pyrobolorum vis, interdium et noctu, sine intermissione, in urbem coniecta. Neque vero obfessi agere segnius; optimis quippe vsi administris rei tormentariae; singulis paene noctibus, quanquam paruo successu, tamen eruptiones factae.

16. Daunius, urbem liberaturus vtrique, consilium eius liberandae, cui, modo ab se excogitato, euentum responsum, certissime confidebat, non diutius, quam in sextum diem, distulit. Media inter Suidnitium et exercitum Austriacum, prope Ricobacum, consistebat magna Beuerenii Ducis manus, plane seiuncta a regis exercitu. Hanc ille adoriri vndique, et, antequam auxilia submittere rex posset, funditus perdere decreuerat, ratus, propter ingentem fuorum numerum, fore, vt Maxenianae cladi simile quid Boruffis accideret. Igitur hos quatuor agmina, Lascio, Odonellio, Beckio, et S. Ignonio, ducibus, eodem tempore a fronte, ab vtroque latere, et a tergo inuadunt. Ibi vero, eximium exercitus ducem se esse, Beuerenius ostendit. Nam quum impedimenta Borufforum hostes adorti essent tanto impetu, vt actum de iis esse videretur, velentque ideo nonnulli e ducibus ea cum suis defendere; ille, hoc plane interdicto: "*Si, inquit, victi fuerimus, vix quidquam fortasse ex iis seruabimus; sin vicerimus, mox rursus nostra erunt.*" Hoc igitur secuti (quo seruando MDCCXLV Fridericus ex praelio ad Sorriam

Sorriam Bohemiae victor excefferat) relictis hosti praedanti impedimentis Borussi, densatis ordinibus dimicant, frontem vbique obiiicientes Auftriacis, ac certo confisi, regem, pro consueta sibi agilitate, minime ipsis defuturum. Neque eos haec spes fefellit. Nam ad primos statim tormentorum exploforum fonos princeps Virtembergensis, inscenso equo, effusis habenis equitatum regis ad hostem ducit, in Odonellii copias inuolat, ac statim eas loco pellit. Eum, laxatis frenis, ex regio exercitu manus tormentariorum, qui equis vtuntur (*reitende Artillerie*), hos autem rex ipse cum parte peditatus, sequitur. Qui antequam aduenisset, plane iam hostes erant profligati, occisis ac vulneratis eorum mille ducentis, captis autem mille quingentis. Borufforum mille vel ceciderant, vel vulnerati erant; nec impedimentorum, nisi exigua pars amissa. Daunius vero Glacium petit, Suidnitium fato suo relinquens.

17. Huius interim vrbis e duodeseptuaginta tormentis, ac triginta duobus mortariis pyriis, ac pyrobolis tormentariis sine intermissione continuata oppugnatione, praefidarii, quamuis liberationis spe deiecti, tamen animum nondum abiecerant, quum satis intra urbem alimentorum superesset, quae vili pretio miles coemeret; praeterea autem singuli matutino tempore vini adusti, meridiano vini pocula singula acciperent. Elapso tamen vno mense, Guasco, praefectus, condiciones de vrbe dedenda ferebat. Sed quem liberum discessum petierat, is ei negatus. Nihilominus artificiosi illi Fabri cuniculi quo plus absumberant temporis, tanto minus effieiebant. Erant illi globi, quos vocant, elastici (*Druckkugeln*), inuentum Belidori egregium, quo quum artis cuniculariae non praecepta modo, verum etiam

etiam vsus incrementa haud parua cepissent, ibi tum primum eius exsequendae suppeditabatur occasio. Quatuor certe, durante hac obsidione, tales globi parati, instructi, et incensi; quorum nonnullos effectus destituit. Subinde cuniculatores, vtrinque sub terra sibi occurrentes inuicem, quoad parietes eos subterranei se iungerent, globis fumantibus (*Rauchkugeln*) deinde tellis manuariis minoribus (*Pistolen*) utebantur. Si longius abessent inuicem, cuniculos fumantes (*Dampfminen*) adhibebant, quibus meatus obsidentium subterranei corruerent. Et, quum Austriacorum cuniculatores numero Borussicos vincerent: multi sane horum irriti conatus reddebantur. Maxime omnium perturbatus erat Faber, vt etiam, lacrymis propter spem elusam profusis, mortem vnice quaereret, ideoque loca vel periculosissima audacter frequentaret.

18. Interim sine intermissione infesti ignes vtrinque coniici, vt etiam cuilibet diei et noctis horae suus occiforum assignari numerus videretur. Qui adhuc in vrbe periculosissima quaeque sibi agenda sumissent, euocati (*Freywillige*) hos, quod praemia sibi concessa, praeviderent, mortis auctoramentum esse certissimum, (nam difficillimis quibusque laboribus ipsi reseruabatur) taedium rei tandem subire. Ab altera parte Fredericus incilia frequenter visitare, ac de mora expeditionis inexpectata stomachans, ipse quaedam ibi instituire, quae magnam eius scientiam rei poliorceticae proderent. Iamque multi adeo de expugnatione vrbs dubitare, quin, post bimestres iam caedes, hoc certum videri, intra duas vel tres hebdomades aut Suidnitium expugnatum, aut ab obsessoribus relictum fore, donec hos tandem inopina res adiuuit. Pyrobolus quidam tormen-

tormentarius in urbem coniectus casu horreum pulueris pyrii incenderat; quo ictu munimentum integrum Iauernicense vna cum duabus cristatorum Austriacorum centuriis, nec minus octo ductores, ibidem conuiuantes, in aërem dispulsi perierunt. Fragore autem inde orto montes adeo circumiacentes visi contremiscere.

19. Statim apparatus ad assultum a Borussis facti, quem praefectus exspectare nolens, a. d. VII. Id. Oct. die post iniuncta vrbi brachia tertio ac sexagesimo, se ac nouem praesidiariorum millia, quae supererant, captiuos dedit. Cuius fortem animum in honore habiturus rex, coenae adhibitum, de illiberalitate, triennio ante, in praesidiarios Borufforum Dresdenses commissa, magno animo, ne obiurgauit quidem. In vrbe a Borussis reperta tormenta trecenta quinquaginta tria, globorum, pyrobolorum, ac falaricorum quinquaginta quinque millia cum quadringentis; pulueris pyrii librarum vltra centum millia, nec non farinae librarum ducenta millia, panis bis cocti librarum septem millia cum quadringentis, panum denique viginti quinque millia. Capti tum ordinum ductores, tum gregarii, Stetinio nauibus in Borussiam transuecti. Tota denique obsidio Borufforum tria millia, triginta tres, Austriacorum totidem millia, cum quingentis quinquaginta duobus absumserat; illi, e vario tormentorum genere, globorum et pyrobolorum centum et septuaginta duo, hi centum viginti quinque millia emiserant.

20. Rex, antequam ipse in Saxoniam proficisceretur, interim dum iter appareretur, Neouidensem belli duce, cum viginti cohortibus, et quadraginta turmis, ad augendum Henrici fratris exercitum, eo praemittebat, qui summi ingenii ac peritiae militaris dux, nec ipse

ipse interea ibi otiosus fuerat. Postquam enim Bellingius, belli dux, antea Suecis oppositus, reconciliata cum his pace, relictis terris Megapolitanis, eius exercitum suo auxerat, statim inde hic quum mouisset, per longum tempus impediabat, quo minus Auftriacis Germanicorum principum copiae se adiungerent. Ad Doebeliam (*Döbeln*) idem Serbellonium, Auftriacum belli ducem, aggressus, fugere, amissis duobus suorum millibus, cogebat. Qui quamuis, aliquot post hebdomadibus, primas Borufforum stationes adortus lacerasset, tamen repulsus, mille amplius de suis rursus desiderabat. Alibi quoque haud leuiter pugnatum a Boruffis, duce Seydlitio, vt prope Aurobacum, ac Toeplitium, vbi hic victis hostibus sexcentos currus, cum captiuis multis eripuit. Tandem, quum constituto in castris ad Fribergam Henrico, Auftriaci cum exercitu Germanico interim coniuncti, freti copiarum numero, commodam pugnandi occasionem ipsi suppeditassent, a. d. IV. Cal. Nov. praelium, idque cruentum, commissum est, quod momentum faceret. Nam repulsis Auftriacorum copiis leuioribus, Germanicus exercitus munimentis suis eiectus, ac trans Moldam fugere coactus. Grauioris armaturae miles Auftriacus, qui et ipse sibi aliam Borufforum manum oppositam vidisset, huic imparem sese ratus, pariter pedem retulit. Quem vero Daunius, cum auxiliis Fribergam miserat, Albertus, Saxo, serius, quam opus erat, eo peruenerat. Eo die victores caesos suorum ac vulneratos numerabant mille quadringentos; victi vtriusque generis tria millia. Ex iisdem capta quatuor millia et quadringenti cum duodetriginta tormentis et nouem signis militaribus.

21. Victos exercitus in Bohemiam sequebatur cum leuioris armaturae manu Kleiftius, qui, euerfis ibi aliquot horreis, fere ad Pragae portas excurrens, pecunias vndique exigebat. Huius victoriae nuncius quum regi, in Saxoniam proficiscenti cum maxime, allatus effet, ea re factum, vt paulo citius in hyberna Boruffi difcederent; quarum quidem ftationibus, longiffima ferie, per Thuringiam, Saxoniam, Lufatiam ac Silefiam continuatis, inducias rex cum Auftriacis pepigit. Quibus quum, finito belli anno sexto poft feptem expeditiones, ex iis, quae expugnarant, non nifi paruus ille circa Dresdam angulus, cum Comitatu Glaciensi refaret; rati, fe Boruffiae regi, a Rufforum incurfibus iam liberato, pares minime fore, optabant fane, vt respirare fibi paululum liceret, ideoque de induciis, quanquam non nifi ad Silefiam Saxoniamque pertinentibus, vehementer laetabantur.

22. At Foederati huius anni expeditionem parum laeta fpe erant ingreffi. Quamuis enim viginti Rufforum millia a Petro III. iuffa fuerant iis fe adiungere, ad quorum iter ftationibus iam descriptis, etiam horrea inftuebantur; tamen praecipuum rei gerendae veluti fulcrum, Britannia, labare coeperat. Ibi enim nouum regis confilium quum vehementer abhorreret a bello Germanico, parum fane ftudii in adiuuando Ferdinandi exercitu ostendebat. Sed quum Butefio, viro illuftri, ad clauum reipublicae Britannicae fedenti, nondum maturum videretur, vniuerfae nationis voluntati repugnare, vere eius anni fupplementum exercitus cum noua Scotiae rufficorum (*Bergfchotten*) chiliade, in Germaniam miffum. In hac igitur quum hyeme exeunte mouiffet Foederatorum exercitus,

Carolus

Carolus Brunsvicensis Arensburgum, arcem, a Franco-gallis munitam, quod eius possessione, nisi Castellis vellet intercludi, carere non possent, adoriri coepit. Muretus, castello praefectus, etsi liberum abitum petierat, tamen hoc non concessit, arx plumbeis foederatorum globis vehementer infestabatur. Quo per sex horas continuas facta, Muretus cum suis, ducentis omnino et quadraginta, se dedit, neutra ex parte villo militum interfecto, nec, praeter Anglicum quendam ordinem ductorem, vulnerato. Hinc maioribus intentus princeps, Rheno propinquat, supplementa exercitui conscribit, pecunias exigit, obsides secum aufert. His impulsu progressibus Francicorum exercitum duces, ad superiorem quidem Rhenum Solbifius et Estraeus, ad inferiorem Condaeus princeps, ex hybernis in medium campum coacti procedere. Sed Brolium imperio militari abiisse, mox patebat; cui illatam sine causa ab aula (cuius ille gratia caruit) iniuriam, magna calamitatum, hoc anno Francogallorum copias prementium moles factis vlta est. Ferdinandus enim, progressus cum exercitu, eosque ad Guilielmi Vallem (*Wilhelmsthal*) adortus, post pugnam acerrimam alios vsque ad moenia Castellana, alios trans Fuldam fugere coegit, relictis in loco pugnae occisorum et captiuorum quatuor millibus, in his maxima eorum parte, qui cristati Franciae (*Grenadiers de France*) appellantur. Quod si equitibus Foederatorum ad pugnam venire licuisset, funditus perissent vniuersi. In eodem praelio quum impedimentis omnibus exuti fuissent capti ductores ordinum Francici, magno iis hanc iacturam animo resarturus Ferdinandus, postridie praelii ad coenam omnes inuitat. Inter bel-laria reliqua apponitur etiam ferculum grande, operculo contactum. Quum surgendi tempus venisset, Dux

conuiuis, contactum illud ferculum digito monstrans: "Supereſt, hic aliquid, inquit, a vobis ſumendum." Sed quum nemo eorum auderet operculum detrahere; Ferdinandus tandem ipſe aufert. Ibi tum illi attoniti obſtupeſcere, quod ſub eo magnam horologiorum aureorum, thecarum, annulorum, et aliarum rerum pretioſiſſimarum copiam latuiſſe animaduertunt, ac iam pro lubitu inde ſibi quiſque deligunt.

23. Vt igitur Francogallos e munitis quoque ad Caſſellas caſtris Ferdinandus eliceret, commeatu, Francofordia petendo, eos intercludit. Quem tuto deferendum curaturus Rochambellus, (*Rochambeau*) eorum belli dux, Foederatorum impetum expertus, quum acerrime ſe defendiſſet, praelio vincitur, eademque opera magnis ad Rotheburgum granariis illi potiuntur. Aliam iidem victoriam, a. d. X. Cal. Aug. ad Lutternbergam, a manu Saxonica, quam Xauerius princeps ducebat, reportant, captis inde mille criſtatis et quingentis equitibus. Denique Friderico, Brunſuiceniſis Ducis filio, contigit, vt hoſtibus e monte Kratzenbergio (quem vocant) depulſis magnum captiuorum numerum eriperet.

24. His fracti cladibus Francogalli, Condaeum, principem, ad ſuccurrendum maiori in Haſſia exercitui, conſeſſim arceſſunt. Quem retenturus Carolus Brunſuiceniſis, ipſis Cal. Sept. ad Iohannis Montem (quem dicunt) aggreditur. Fauere ab initio Foederatis fortuna viſa; ſed, opportunitas loci, quo Francogalli erant conſtituti, eorundem haud paulo maior numerus, et vulnus, principis ventri illatum, victoriam ab iis auertunt.

tunt. Qui ne plane eo die perderentur, Ferdinandi, non procul inde constituti, aduentus opportunus impediebat. Certe eo die duo militum millia cum quadringentis Foederati amiserant.

25. Hinc iam coniunctus vterque hostium exercitus bellum rursus inferebat, Amoeroburgum, arcem, ad Ohmum sitam, oppugnans. Cuius fluminis pontem quum Foederati defendendum sibi suscepissent, vtraque parte recentes subinde copias ad sustinendam pugnam submittente, per integras quatuordecim horas, summo impetu ignes vtrinque e tormentis ac telis emissi sunt, praesertim, quum Francogalli, si seruare Cassellas vellent, arcis eius opportunitate carere non possent. Tandem postquam vtrinque milleni partim cecidissent, partim vulnera accepissent, nox certamen diremit, neutris victoribus. Quum tamen de virtutis laude potius, quam de commodorum magnitudine certatum fuisset, Francogalli quoque, numero superiores, diutius pugnam viderentur fuisse sustenturi; relicto loco controuerso, Ferdinandus reduxit exercitum. Amoeroburgum deditum postridie.

26. Appetebat iam hyems; et, quum pax, de qua mentio iniecta erat, nondum certa esset, Ferdinandus, belli finem magno aliquo facto insigniturus, animum ad Cassellas adiciebat, cuius vrbis expugnationem, praeterquam quod Hassiam vniuersam liberaret, magna insuper sibi commoda allaturam, videbat. Eam itaque vt susciperet, mandat Friderico Brunsvicensi, ex

fratre nepoti, qui iam puer singularia ingenii bellici specimina ediderat. Hic post. Id. Oct. brachia vrbi iniungit; vehementer vrbs impugnatur ac defenditur; obsessi, quanquam frustra, tamen fortissime, eruptiones faciunt. Quum obsidionem nemo expectasset; magna in vrbe rerum fit inopia; aduehendi commeatus spes nulla; quod Ferdinandus omnes aditus clauferat, ac praeterea tam opportuno loco constituerat exercitum, vt succurrere obsessis Francogalli minime possent. Statim ergo ab initio equinae carnes distributae praesidiariis. Sed paulo post ita iam fames in vrbe inualuerat, vt librae singulae carnis bubulae, eiusque vilissimae, binis florenis vaenirent. Haec necessariorum omnium penuria, praesidiarios deditonem Cal. Nov. facere coegit. Biduo post de praeiis conditionibus pacis, bello inter Francogallos ac Britannos finem facturae, conuenit. Iamque Ferdinandus dimittebat exercitum, habita oratione, quae omnium praesentium animos ita commouebat, vt lacrymas tenere non possent; et quae non modo gratias, bonae eorum de ipso opinionis et praestitae obedientiae causa, omnibus agebat, verum etiam prius se, quam cum ipso vitae fine, memoriam huius rei, negabat, depositurum, quod cum tam fortibus viris patriam communem defendere sibi licuisset. Tanti igitur belli ducis laudibus quum omnis personaret Britannia; senatus regni, gratiis per litteras publice actis, annua ei, quoad victurus esset, librarum Britannicarum tria millia, praemii loco assignauit. Hinc Britannicae copiae, quae, quum ab initio viginti quinque millia complessent, iam non nisi septendecim milli-

bus

bus constabant, in patriam rediturae, per Belgium profectae, nauibus Anglicis impositae, domum reuehebantur.

27. Omnium tunc belli fociorum Francogalli, alias tam potentes, pacem vehementissime optabant, exhaustis quippe regni pecuniis, imminutis commerciis, perditis opibus naualibus, externis denique possessionibus per Britannos occupatis. Defecerat quoque omnes Franciae prouincias parata pecunia, quae partim in Germaniam fuerat transmissa, partim in Britanniam per piratas peruenerat. Et quanquam tum partim ipse Ludouicus XV., partim regiae stirpis cognati, partim illustrissimus procerum quisque argenteam suam supellectilem conflandam monetariis dederant; tamen haec veluti medicina tollendo morbo par minime erat, praeterquam, quod etiam huius magnitudinem omnibus aperiebat. Neque vero melius alia, patriae amorem testantia, succedebant. Maiorum prouinciarum Ordines cum ciuitatibus paulo opulentioribus naues bellicas cum piraticis instruxerant; sed vix mare attigerant, quum ecce! Britannis praeda fiunt. Sic quum decretum fuisset, sex lemborum millibus in Angliam exscendere, instante ipso profectiois die, locorum, in quibus fieri debuerat exscensio, nomina, per Maccallestrum quendam, Hybernium, aulae Londinensi produntur. Ac paulo post magnus horum lemborum numerus, ad ipsas Franciae oras perit. Sic mari et terra Francogallis fortuna aduersante, recte tum Voltarium, patet, scripsisse alicubi:
” Franciam vno sexennio magis foedere Austriaco ex-

*haustam esse, quam bellis omnibus, quae per duo annorum millia cum Austriacis gessisset.” *)*.

28. Atque hoc tam iniquo tempore extrema quoque hoc regnum spes coeperat deficere, quum Hispaniae rex, sociorum nouissimus, vnius anni spatium a Britannis eo esset reductus, vt bellum continuare vix posset. Hayanna enim, quae aditum ad Americanas Hispanorum possessiones cunctas aperit, horumque aurifodinas et argentarias munit, cum omnibus thesauris, ibi reconditis, expugnata; Manillae diuitiis occupatis, Portugallia, quam Hispani occuparant, paene omni recuperata, euerso Pondicherio, Canada denique, cum omnibus Francicae ditionis per Americam maioribus insulis, per Britannos capta; maris imperium in plura saecula vindicatum his quidem videbatur, caeterarum gentium classes eorum copiis naualibus, paene immensis, tanquam meteoro, nondum adhuc per maria viso, obscurantibus, quod tamen meteoron, Britannica tropaea per omnes terrarum orbis partes illustrans, ad vtrumque polum radios coniiceret. Sed haec omnia, virtute militum exquisitissima, integris sanguinis riuus, atque aere alieno, vel post saecula nationem oneraturus, redempta, hostibus, excepta Canada, reddebantur ea pace, quae ipso paene bello erat mirabilior.

29. Ea-

*) Imo parum recte Voltarius, vt fere in rebus historicis solebat. Quis enim, quaeso, illa *duo annorum millia*, quibus bellum Francia cum Austriacis gesserit, concoquat? Haud dubie *ducentos annos* voluit scribere. *Nota interpretis.*

29. Eadem pace, cuius auctor Butesius erat, Fridericus hostium fuorum arbitrio obiectus erat planissime, ac, veluti data opera impediendus esset is, cuius bellicam virtutem Europa omnis admirabatur, disertis verbis Francogalli promittebant, se prouincias Hano-ueranas, Hassiacas, et Brunswicenses, aliasque Foederatorum terras, non modo *relicturos*, verum etiam suis quosque dominis *reddituros*; Borussicas autem, Cluiam, Geldriam, ac regiones quasdam Vestphalicas, *non nisi relicturos se*, dicebant. Iraque nullam rationem Britanniae regis comites Consistoriani habebant foederis inter Britannos ac Borussos ante icti, cuius quartum caput neutri parti vel pacis separatim faciendae, vel induciarum paciscendarum potestatem concefferat. Neque tum magis vera regis ac nationis commoda, aut vtriusque apud exteros existimationem, aut denique populi sensum respiciebant; vnde etiam dies ille ipse, quo pax publicata est, toti Britanniae vere luctuosus fuit. Neque vero quidquam Borussiae regis ad aulam Londinensem orator profecit, intercedendo huic pacis foederi, tam perfide ac parum regi suo honorifice inito; nam tamen a. d. IV. Id. Febr. MDCCLXIII. confirmatum fuit. Haec perfidia, Friderici animum tam gra- uiter affecit, vt eum prorsus abalienaret, non ab aula, quae hoc meruerat, sed ab innoxio Britanniae populo, eius reuerentia plenissimo, qui, quum ad ipsum tuendum seruandumque vnice consensisset, nullam eius victoriam non luculentissimis laetitiae publicae signis celebrarat. Neque enim cessarant vel summi quique factionum fenatus omnium oratores, eum exquisitissimis ad coelum

laudibus tollere, vel poëtae Britannici triumphos eius canere, vel denique plebs hostium eius regionum imagines in publico ignibus tradere. Nihilominus concordia haec populi liberi eiusdemque cultissimi studia, quibus alias tam facile moueri laudis cupiditas solet, ad ea, quibus aulae Londinensis administri Fridericum offenderunt, apud hunc velut expianda minime ualuerant, sed omnis eius indignatio in nationem Britannorum vniuersam, (quam tamen nunquam fatis nouerat) redundauit. Mox igitur generoso illorum eius iuuandi ardore, et promptissimis pro aliena causa tantas pecunias infumendi studiis, obliuioni traditis, tantum abest, ut gratum ille animum demonstrarit, ut alienissimum se ab iis per totam reliquam vitam, variis factis ostenderit.

30. Neque vero etiam inter Aufriacos ac Boruffos odii mutui, quod vulgo crescere inter bellantes perpetuo solet, ingentem in modum aucti, exempla in huius belli historia defunt; quo Aufriaci maxime, tum parum adhuc culti atque rerum scientia rudes, eminuerunt; hinc, motum a Friderico bellum seditionis aduersus Imperium Germanicum, eiusque summum caput, vim habere, rati, illinc religioso aduersus haereticos ardore incensi, ad quos extirpandos quisquis aliquid contulisset, eum gratiam apud Deum summam inire arbitrabantur. Itaque captus ab his miles Borufforum gregarius, Viennae in carcerem maleficorum publicum detrusus, asperrime tractando ad militiam Aufriacam cogi; ordinum vero ductores in oppidulis custodiri, ne errorum suorum venena latius disseminarent. Pro hac

hac de iis opinione indignis iisdem modis haberi; per quinque menses stipendium nullum accipere; sed priuatorum liberalitati eorum sustentatio relinqui. Ad hanc suorum miseriam leuandam, palam de ea conquerendum ratus Fuquetus, belli dux, et ipse tum captiuus, quanquam regi suo deditissimus huiusque commodis addictissimus, nec ignarus, propter has ipsas causas Viennae se inuisissimum esse, tamen nimis vehementer querelas quum effudisset, eaque de Theresia eiusque administris sibi passus esset excidere, quae non nisi in Britannia licuisset impune dicere; statim horum vindictam sensit, Carolostadium Croatiae delatus, ibique arcta custodia inclusus. Rex Borussiae, par pari relaturus, quatuor in exercitu Austriaco legatos, quibus antea Magdeburgi libere versari permiserat, in castellum eius vrbs includi iubet. Hinc mutuarum inter Carolum, Marchionem Borussiae, et Laudonium litterarum materia, non nimis iucunda, sed vtrinque obiurgationes suppeditatura acerbissimas; quibus nihil magnopere proficeretur. Etenim nunc vicissim Theresia quatuor Borufforum legatos, captos, Kufftenium deportandos curare: Fridericus contra, qui multo plures eiusdem loci ac dignitatis captos teneret, reliquos omnes in castellum detrudere, quo sane nonnulli aegerrime concedebant, quidam etiam, vt commodum sibi vrbis domicilium cum carcere commutaret, vi adhibita erat cogendus. Nec prius hinc, quam restituta pace dimissi, quo tempore etiam Borufficos illos duces oportebat liberari. Inter quos Fuquetus maxime praemia molestiarum, propter regem suum toleratarum, longe

maxima tulit, neque erga quenquam gratiorem se praebuisse hic visus est, quum illi, procul a chiliadis suae statuis et praefectura, ex animi sententia suauius vivere permiserit, et ei ad mortem vsque fauorem suum seruarit.

31. Interim Borussiae rex pactis induciis, quae, (vt diximus) ad solam Saxoniam et Silesiam, omninoque ad Borussiae atque Austriae ditionis terras pertinebant, ita vsus est, vt decem militum millia in Germaniam Superiorem mitteret, coactus infensos sibi Imperii Ordines, vt neutras partes sequerentur. Hanc expeditionem sibi mandatam, Kleistius, velitum dux, magna cum celeritate atque prudentia exsecutus est. Ingressus igitur Franconiam, quae paene tota in foedere aduersus Fridericum fuerat, Bambergam, et alias vrbes insigniores occupat. Bambergae decies centena imperialium millia pactus, quae sibi soluerentur, Noribergam, alteras veluti Venetias, petit, quae vrbs Imperii Germanici libera, mirum quandam imaginem referens, lingua et moribus Germanicis, reipublicae contra forma, legibus et fastu plane Venetis, vitur. Respublica ibi a paucis familiis geritur, exclusis caeteris; ciues parum liberi; rarae ad inflammandam incolarum industriam leges sapienter datae; magna de se ipsis opinio. Huius ciuitatis Senatus, missis prius ad Borussiae belli ducem litteris, barbara dictione scriptis, et copiose per legatos ei exposita *urbis in Saecularibus et Ecclesiasticis, in Ciuilibus et Militaribus*, (sic enim aiebant) *libertate*, quum ei tandem portas aperuisset;

ruisset; hic nouitatem orationis miratus, ad omnia se responsum promittit, quum primum urbem intrasset. Nec diu responsum moratus, licet paulo breuius et efficacius quinquies decies centena imperialium millia, incendio auertendo, solui, et armamentarium spoliari iubet. Neque vero interim otiosi esse Kleistii velites; sed vbique circumuagari, pecunias exigere, et ad Danubium vsque omnes perterrefacere. Ibi porro liberare omnes eos, qui, durante bello, ab exercitu Germanico, e terris Borussicis obsides essent abducti. Et quum ante in Germania superiori non nisi per famam innotuisset miles Borussicus, et expeditiorem eorum equitem, si parum numerosus fuisset, plerumque latentes post moenia risissent; nunc mirabundi velitem, equo descendentem, urbium moenia videbant inuadere. Sic Vinshemia occupata, sic Rothenburgum ad Tubarim, vtraque vrbs imperii libera; quarum haec viginti quinque velitibus Borussicis, assultum minantibus, portas aperiebant; ciues autem, licet armati, relictis moenibus, centum imperialium millia, incendio auertendo, soluebant.

32. Sed multo latius euagati velites, quum nudatas praesidiis regiones ante se animaduertissent, vsque ad alterum a Ratisbona milliarium progrediebantur. Quo nunciato attoniti reipublicae Germanicae velut Amphictyones, ii maxime, qui per totum bellum regi Borussiae in comitiis aduersati fuerant, vindictam huius metuebant. Erant adeo, qui fugam pararent; magnaue rerum pretiosissimarum copia oneratis in Danubio

nubio flumine nauigiis, finem iam Comitata habitura videbantur. In hac tanta trepidatione, quae suae quemque salutem cogeret prospicere, posthabitis consiliis vel aulicis vel bellicis, omninoque aliis omnibus; Plothonis illius, Borufforum regis legati, quem plures hucusque odio habitum, integro septennio acerbissime persecuti fuerant, auxilium ac tutela sollempniter expetebatur; ut, qui conuentus adhuc nullam operam non impendisset, quo illius herum perderet, ei nunc per illum tuto esse liceret. Etiam urbis Senatus magno apparatu ad eum mittebat, qui regis Borufforum clementiam supplices implorarent. Cuius spem legatus, acceptis a rege suo mandatis necessariis, quum fecisset, velites iam hinc Boruffici Ratisbonae vicinia abstinebant.

33. Haec omnia Auftriacorum copiae otiosae geritum vidissent, quod per inducias sibi licere minime putarent, iis resistere; tandem acceptis Vienna mandatis, magna eorum manus, e Bohemia profecta, copiis Germanicis, duce Stollbergio principe, accurrentibus, iuncta Franconiam ingreditur; nec minus Xauerius, princeps, cum copiis Saxonibus et Francogallicis, Herbipoli profectus, appropinquat. Tanto exercitui parem praelio se fore minime ratus Kleiftius, pedem refert, et multis obsidibus comitatus, multis pecuniis onustus, multis denique Noribergensium tormentis instructus, Saxoniam repetit.

34. Iamque principes Germaniae, sibi quoque bellum tandem displicere, ipsis factis demonstrant;

Bauari

Bauari maxime, neutros se hinc fore, haud dubiis signis ostendunt. Itaque viis ad Danubium obsessis, transitum Austriacis negant; iidemque cum Palatinis primi, ab exercitu Germanico seiuncti, nequidquam interdicientibus harum copiarum ducibus primariis, medio Ianuario, domum proficiscuntur. Ac iam Decembri quoque mense Dux Megapolitanus, pace cum Borussiae rege facta, centum ac viginti imperialium millia, quae ei e bello debebat, soluerat, quam pecuniam Daniae rex repraesentarat.

ANNVS 1763.

35. Tam gloriosa Borussiae in Germaniam Superiorem expeditione finitum est bellum, cuius finem ipsa quoque nunc Maria Theresia votis omnibus exoptabat, quae Silesiae expugnandae spe, iam cum Russorum ac Suecorum a foedere discessu sublata, bellum non nisi dicis causa adhuc continuabat. Initum quidem fuerat ab ea consilium, potiundi terris Borussiae, quas Francogalli adhuc tenuerant, neque hi valde abnuebant, eas Austriacis tradere, propterea, quod ipsos administrorum Anglicorum siue perfidia, siue negligentia, non reddere Borussiae istas prouincias, sed (haec diserta verba erant pacis) *tantum euacuare* voluerat; vnde tamdiu abitum morabantur, donec ad Ruremondam Austriaca quaedam manus collecta esset. At Fridericus, cui iam abunde esset militum, et quem iam Hassi ac Brunsvicensis, Britannica militia soluti, adiuuare possent, statim hostes occupaturus, copias in Vestphaliam mittebat; quo facto totum consilium, quod Francogalli armis palam iuuare vole-

nolebant, disiectum est ita, vt Borussi iam Decembri mense omnia ista loca sine pugna recuperarent.

36. Hinc in dies Vienna quoque bellandi ardor coepit refrigerare. Nam Fridericus, receptis, quibus tamdiu caruerat, Borussia et Vestphalia, iam sine socio ac sociorum pecuniis, post septem expeditiones bellicas formidolosior, quam alias vnquam fuerat, in dies cum suis exercitibus, vndique collectis, in Bohemia expectabatur. Theresia contra et ipsa cum suis, sola, sine sociis, reuocato paulatim ab imperii principibus, bello fessis, et nuperrima Borussorum in Franconiam irruptione perterrefactis, Germanico exercitu, velut in arenam erat descensura. Cuius etsi opes non erant ita exhaustae, vti Franciae regis fiscus; tamen aeraria res omnis accisa, fiscus, qui ne^o ineunte quidem bello plenus fuerat, quantumuis pecuniis mutuo sumtis, vectigalibus, et aliis politicorum artificiis auctus, tamen exinanitus, et plura in dies desiderabantur. At apud Fridericum, indigentiae ne vestigium quidem; nec pecunias ille siue a ciuibus, siue ab exteris sumebat, denique etiam, (quod admiratione dignissimum) nullum ciuibus tributi aut vectigalis nouum genus imposuerat. Reliqua autem Germania per hoc totum bellum afflicta erat miserrime. Integri quidam eius Circuli vastati, in caeteris vero quanquam immensae Francogallorum, Britannorum, Russorum, et Suecorum pecuniae, partim per ipsos exercitus, partim per pensiones principum annuas, in vsu hominum versata fuerant, (sunt enim, qui has quinquies millies centena imperialium millia

(500 *Millionen Reichsthaler*) excessisse, computando intellexerint) tamen languere commercia. Vniuersa quidem Pomerania interior, cum parte Marchiae, deserto simillima. Nec multo melior aliarum terrarum fors; in quibus nisi homines omnino, mares certe desiderabantur. In aliis foeminae, aratrum sequentes; in aliis ne hae quidem. Magni passim tractus soli feracissimi, in quibus agriculturae pristinae vestigium nullum amplius cerneret. Cultissimi Germaniae ad Viadrum ac Visurgim agri, desertorum Americae ad Ohium et Oronocum tristissimam imaginem referentes. Quidam adeo ex ordinum ductoribus, *se septem Hassiae vicos equo transuectum, non nisi vnum ibi hominem reperisse, scripsit. Eum sacerdotem fuisse, qui fabas sibi coqueret.*

37. His tam late patentibus miseriis vnus tandem dies finem attulit, qui erat, a. d. XV. Cal. Mart. MDCCLXIII. quo pax in S. Huberti Villa (*Hubertsburg*) in Saxonia sita, conuenit, postquam biduo ante Conuentus Ratisbonensis neutras partes se fecutum, sollemni ritu denunciaffet. Cui tam graui pacis negotio quam breuissimo tempore perficiendo, quum omnium studia satis consensissent, non nisi aliquot hebdomades impensae sufficiebant. Neque enim ei conciliandae adhibebantur summae dignitatis in sua quisque aula proceres, qui plerumque magis pompa, epulis, et ambagibus, quam assiduitate, sunt insignes; sed Collenbachius, apud Auftriacos consiliarius aulicus, Herzbergius, regi Borussiae a consiliis legationum, (nunc a Friderico Guilielmo, rege, proximus) et Fritschius, in aula Saxonica

comes

comes Consistorianus, triumviri, et prudentia et industria celeberrimi, nec tam titulis, quam meritis, conspicui. Hi, a sua quisque aula, mandatis instructi, pacis conditiones consignabant ita, vt pars vtraque, quidquid terrarum vel locorum bello cepisset, aut adhuc teneret, alteri restitueret; neutra autem damnum sibi resarciri postularet. Itaque post septem annos belli cruentissimi nihil promotum erat, sed, eodem quisque redierat, vnde prius exisset; nec tam a suo proposito Friderici hostes recefferant, quam ab eo penitus aberrauerant, et, qui interitum euitare nemini mortalium videbatur posse, quin ipse saepius in mediis triumphis, saluum se fore desperarat, idem rex iam, pace cum hostibus facta, ne vicum quidem a terrarum suarum ambitu seiunctum videbat.

38. Hunc finem bellum septem annorum habuit, vnum de memoratu dignissimis, quae imperiorum ac regnorum annalibus consignata vnquam fuerunt; certe cum atrocissimis et maxime stupendis aevi antiquioris comparandum; idemque, sicut olim euentuum mirabilium varietate, omnium hominum vota atque expectationes sefellit, ita in posterum cuiusque aetatis ac populi rectores reipublicae, et bello et pace administrandae, prudentia, philosophos autem animi humani scientia, largissime instructurum!

CONSPECTVS
BELLI SEPTENNIS CHRONOLOGICVS,

quo

ORDO PUGNARVM ET OBSIDIONVM PRAECIPVARVM
OCVLIS OBIICITVR.

Prior numerus *librum*, posterior *caput* indicat.

Aug.

A. MDCCLVI.

29 Borussi Saxoniam triplici exercitu ingrediuntur. Lib. I.
cap. 5.

Oct.

I Praelium ad Lovositiium Bohemiae, quo Fridericus Brau-
nium, Austriacorum ducem, vincit. I. 13 - 15.

15 Saxonum exercitus vniuersus, frustra traiecto Albi, ac
tentata cum Braunio coniunctione, captus, prope Pirnam
arma Boruffis tradit. I. 16 - 18.

Apr.

A. MDCCLVII.

21 Beuerenius, Dux, ad Reichenbergam Bohemiae, Austria-
cos vincit. II. 7.

Mai.

6 Praelium Pragense cruentissimum, et statim inde vrbis, a
Boruffis obsidendae, initium. II. 9 - 17.

Iun.

18 Pugna Collinentis, qua Borussi ab Austriacis, Daunio duce,
primum vincuntur. II. 18 - 23.

20 Borussi Pragae vrbis obsidionem soluunt, et omni deinde
Bohemia, variis itineribus, paulatim excedunt. II. 24.

T

Iul.

Iul.

Bohemia, Saxonia, Marchia, Silesia.

23 Austriaci Zittauiam Lusatiae pyrobolis incendunt. II. 25.

Sept.

7

Ad Moysum Lusatiae Borussi, amisso Vinterfeldio duce Austriacis cedunt. II. 54.

Oct.

16

Austriaci, Haddiccio duce, Berolinum tentant, ibique pecunias exigunt, sed, Borussis adventantibus, festinantes discedunt. II. 33 - 34.

23

Austriaci, Nadaftio duce, Suidnitii obsidionem suscipiunt. II. 55.

Nov.

5

Fridericus Francogallos et exercitum Germanicum notissimo ad Rosbacum praelio deuincit. II. 41 - 48.

12

Nadaftius Suidnitium capit. Rex Lipsia cum suis in Silesiam mouet. II. 55.

22

Austriaci munita Borussorum castra ad Vratislauiam inuadunt, qui postridie iis sponte excedunt. II. 56.

24

Vratislauia ab Austriacis capitur. II. 57.

Dec.

5

Fridericus, Austriacos praelio prope Leuthenam aggressus, ad interuencionem vincit. II. 61 - 63.

20

Vratislauiam recipit. II. 64.

26

Lignitium recuperat. II. 65.

Iul.	Saxonia Inferior.	Iul.	Borussia.
3	Francogalli Embdam et reliquas Friderici terras Vestphalicas occupant. II. 26.	5	Ruffi, Apraxino duce, Memelam Boruffiae capiunt. II. 35.
26	Foederatos ad Hastenbeccium vincunt. II. 26.	Aug.	Borufforum ducem, Lehualdum, pugna ad Groslaegerndorffium vincunt. II. 35.
28	Hamelam deditioe capiunt.	30	
Sept.	8 In monasterio Seueneſi Foederati cum Franco-gallis pacifcuntur. II. 26.	Sept.	29 Borussia omni rursus excedunt. II. 35 - 37.
Nov.	26 Britanni ac Foederati pactum Seueneſe reſcindunt. II. 51 - 53.		
Dec.	30 Foederati, Ferdinando duce, Harburgum inuadunt, et paulo poſt hoſtes terris Hanoueranſis eiiciunt. II. 53.		

Iun.	Vestphalia, Hassia.	Ian.	Marchia, Pomerania.
		22	Russi, Fermorio duce, Regiomontum occupant, Borussiaeque in fidem accipiunt. III. 1. 8 - 11.
2	Ferdinandus Rhenum transit cum exercitu. III. 62.		
23	Ad Creuldiam Franco-gallos vincit. III. 62.		
Iul.			
8	Foederati Dusseldorpium capiunt. III. 63.		
23	Solbifus Cassellas occupat. Pugna ad Sangershufam. III. 63.		
Aug.			
5	Imhofius ad Meeriam Chevertum vincit. III. 64.		
10	Ferdinandus Rhenum rursus traicit. III. 65.	Aug.	
		15	Russi, facta in Marchiam irruptione, Custrinum pyrobolis incendunt. III. 12.
		25	Cruento ad Zorndorfium praelio a Friderico vincuntur. III. 14 - 21.
		Oct.	
		3	Russi Colbergam obsidere incipiunt. III. 43.
Oct.			
10	Solbifus Obergium ad Lutternbergam vincit. III. 66 - 67.		
		31	Obsidionem solvere ab Heydenio, praefecto, coguntur. III. 43.

Mai.

Silesia, Saxonia, Lufatia.

3 Borussi in Franconiam proficiscuntur, vbi exercitum Germanicum vltra Noribergam reiiciunt. IV. 2.

Aug.

6 Exercitus Germanicus Lipsiam,

14 Torgauiam,

21 Vitebergam capit. IV. 23.

28 Vunfchius, Boruffus, Vitebergam recipit. IV. 29.

Sept.

2 Idem Torgauiam recuperat, mox Dresdae subuenturus, sed

4 haec ab Austriacis et Germanico exercitu deditioe capitur. IV. 24 - 26.

13 Vunfchius Lipsiam quoque recipit. IV. 29.

24 Henricus Vehlman, Austriacum ducem, ad Hoyersverdam subito aggressus, viuum capit. IV. 28.

29 Alhrembergius, Dux, a Boruffis ad Pretschiam, vincitur, Gemmingius capitur. IV. 30.

Nov.

21 Finkius cum aliis octo ducibus ac tredecim millibus Borufforum, ab Austriacis ad Maxenam viuus capitur. IV. 33 - 34.

Dec.

5 Dirkius cum mille quingentis Boruffis ad Misenam ab Austriacis capitur. IV. 35.

Apr.	Vestphalia, Hassia.	Marchia.
13	Pugna Bergenfis prope Francofordiam, qua Foederati a Francogallis repelluntur. IV. 43.	
Iul.		
10	Hi Mindam Vestphaliae occupant. IV. 44.	
		Iul.
		23
		Vedelius a Russis ad Zulicha viam vincitur. IV. 7.
25	Francogalli Monasterium expugnant. IV. 44.	
Aug.		
1	Ferdinandus eos prope Mindam ingenti praelio deuincit. IV. 46 - 50. Eodem die Carolus Brunsvicensis aliam eorum manum ad Gohfeldam superat. IV. 53.	
2	Foederati Mindam recipiunt. IV. 50.	
		Aug.
		12
		Fridericus ad Cunnersdorffium a Russis et Laudonio ingenti clade afficitur. IV. 11 - 20.
Nov.		
20	Foederati Monasterium iterata obsidione recipiunt. IV. 54.	
30	Virtembergenses a Foederatis Fulda urbe eiiciuntur. IV. 55.	

Jun.	Silesia, et Saxonia.
23	Laudonius Fuquetum, post acres conflictus, cum sex Borufforum millibus ad Landshuthiam capit. V. 2. 3.
Jul.	
14	Fridericus Dresdam subito adortus obsidione cingit. V. 5-14.
26	Laudonius Glacium assultu capit. V. 4-15.
29	Fridericus Dresdae obsidionem soluere cogitur. V. 15.
Aug.	
1	Laudonius Vratislauiam obsidet, sed paulo post, Henrico et rege aduentantibus, discedit. V. 18. 19.
15	Eundem Fridericus pugna ad Lignitium vincit. V. 22. 24.
18	Huelfenium ad Strehlam aggressi Austriaci ab eo vincuntur. V. 26.
Sept.	
26	Exercitus Germanicus Torgauiam capit.
Oct.	
14	Idem Vitebergam, pyrobolis infestam, occupat.
31	Lipsam Borussi recipiunt. V. 44.
Nov.	
3	Praelium ad Torgauiam, cruentissimum, quo Fridericus Austriacos deuincit. V. 46-58.

Iul.	Hassia, Vestphalia.	Aug.	Marchia, Pomerania.
10	Francogalli Foederatos ad Corbacum vincunt. V. 70.		
16	Ad Emsdorffium ab his vicissim vincuntur V. 70.		
31	Ferdinandus ad Varburgum eosdem rursus vincit. V. 71.		
		28	Russi Colbergam iterum obsident. V. 27.
Aug. 30	Carolus Brunsvicensis, Rheno traiecto, Vefaliam obsidet. V. 74.		
		Sept. 18	Vernerus eos ab hac urbe repellit. V. 27.
		Oct. 3	Russi, Tottlebio duce, et Austriaci Berolinum aggre- diantur, V. 29.
		9	in deditionem accipiunt, V. 31.
		13	appropinquante rege, re- linquunt. V. 39.
Oct. 16	Pugna ad Campium a Castrio duce vincitur. V. 74.		
19	Vefaliae obsidionem soluit. V. 74.		

Aug.

Silesia et Saxonia.

- 5 Post varias ambages Russi tandem cum Austriacis ad Strigauiam iunguntur; VI. 5.
- 30 sed frustra tentatis aliquoties castris Friderici munitissimis, VI. 9.

Sept.

- 5 ab illis, relicta copiarum parte, in Poloniam rursus discedunt. VI. 9.
- 30 Media nocte Laudonius Suidnitium subito affultu capit. VI. 12 - 14.

Febr.	Hassia, Saxonia Inf.	Aug.	Pomerania.
11	Ferdinandus Francogallos vndique aggressus, hybernis eiicit. VI. 1.		
15	Foederati ad Longosalfam Saxones vincunt. VI. 1.		
Mart.			
1	Iidem Cassellas obsident. VI. 2.		
21	Carolus Brunsvicensis ad Stangerodam vincitur. VI. 2.		
28	Cassellarum obsidio solvitur. VI. 2.		
Iul.			
15	Ferdinandus ad Vellinghusam frustra ab hoste invaditur.		
		25	Colberga a Russis tertium obsidetur. VI. 21.
		Dec.	
		16	Tandem propter panis penuriam deditur. VI. 24.
		25	Elisabetha Russica obit; Petrus III. succedit; cum Friderico facit inducias, pacem, foedus. VII. 1.

Iun.

Silefia.

- 30 Ruffi, Chernichefio duce, socia cum Boruffis arma iungunt. VII. 2.
- Iul.
21 Fridericus Auftriacos a Suidnitio intra montes repellit. VII. 13.
- Aug.
8 Idem Suidnitii obfidionem fufcipit. VII. 15.
16 Auftriaci, Beuerenium Ducem, ad Peylam vndique aggreffi, vincuntur. VII. 16.
- Oct.
9 Fridericus Suidnitium deditione recuperat. VII. 18 - 19.

Febr.

A. MDCCLXIII.

- Boruffis Franconiam rurfus, Kleiftio duce, ingreffis Ordines Imperii, neutros fe fore, dicunt. VII. 31 - 34.
- 15) Pax tandem inter Boruffos, Auftriacos, et Saxones, in S. Huberti Villa conuenit. VII. 37.

Mai.	Saxonia.	Iun.	Hassia, Saxonia Inf.
12	Henricus exercitum Germanicum, ad Doebeliam, repellit. VII. 20.	24	Ferdinandus ad Grebenstenium Francogallos turbat.
		Iul. 24	Foederati Xauerium, Saxonem, ad Lutternbergam vincunt. VII. 23.
		Aug. 11	Foederati Cassellas obfident. VII. 26.
Oct. 29	Henricus Austriacos et exercitum Germanicum magna ad Fribergam pugna deuincit. VII. 20.	Nov. 1	Easdem expugnant. VII. 26.
		3	Pax inter Britannos et Francogallos inicitur. VII. 26.

NB.

Res inter Boruffos ac Suecos hoc bello gestae, quoniam non magni ad belli summam momenti fuerunt, propter spatii angustiam, plane omisimus.

PROSOPOGRAPHIA BREVIS

-praecipuorum Principum ac Ducum bellicorum, quorum
in hoc libro fit mentio.

FRANCISCVS I, STEPHANVS, Dux Lotharingiae, natus
1708, 8 Sept. Magnus Dux Hetruriae, 1737, 9 Jul.
Romanorum Imperator creatus, 1745, 13 Sept. obiit,
1765, 18 Aug.

MARIA THERESIA, Caroli VI, Imperatoris filia natu ma-
ior, nata 1717, 13 May. Francisco I nupta, 1736,
12 Febr. post mortem patris heres provinciarum eius
omnium, 1740, 20 Oct. obiit. 1780, 29 Nov.

CAROLVS ALEXANDER, Lotharingiae Dux, Francisci I
Imp. frater, natus 1712, 14 Dec. summus Austriaci
exercitus dux, initio belli septennis, obiit 1780, 4 Jul.

ELISABETHA, Russiae Imperatrix, Petri I Magni filia, na-
ta 1709, 29 Dec. successit Ioanni (*Ivan*) 1741, 6 Dec.
decessit 1762, 5 Ian.

PETRVS III, Russiae Imperator, natus Dux Holsatiae, e
familia Gottorpiensi, 1728, 21 Febr. Elisabethae, ex
Anna Petrowna sorore nepos, successit Elisabethae
1762, 5 Ian. deiecit imperio, 1762, 9 Jul. expiravit
eod. anno. 14 Jul.

CATHARINA II, Petri III coniux, nata Princeps Anhal-
tino-Seruestana, 1729, 2 May. successit coniugi 1762,
9 Jul.

LVDOVICVS XV, Franciae rex, natus 1710, 15 Febr. suc-
cessit Ludovico XIV, proavo, 1715, 1 Sept. decessit
1774, 10 May.

FRIDERICVS II, Magnus, Borussiae rex, et Elector Bran-
denburgicus, Friderici Guilielmi I filius, natus 1712,
24 Ian. successit patri, 1740, 1 May. omnium suae ae-
tatis ducum bellicorum per Europam facile princeps,
obiit, 1786, 17 Aug.

HENRICVS, Friderici Magni frater, natus 1726, 18 Ian.
fratris bello septenni adiutor perpetuus, plurimorum-
que exercituum, quibus hic propter absentiam prae-
esse non poterat, ductor peritissimus, idemque nun-
quam victus.

GEOR-

- GEORGIVS AVGVSTVS II**, Magnae Britanniae rex, et Elector Hanoueranus, natus 1683, 10 Nov. successit Georgio I patri, 1728, 22, obiit 1760. 25 Oct.
- GEORGIVS AVGVSTVS III**, Magnae Britanniae rex, et Elector Hanoueranus, Georgii II, e Friderico Ludovico, filio, nepos, natus 1738, 4 Jun. successit auo, 1760, 25 Oct.
- GVILIELMVS AVGVSTVS**, Cumbriae Dux, Georgii II filius alter, natus 1721, 26 April. Foederati exercitus in Germania bello septenni primus ductor, obiit 1765, 31 Oct.
- FRIDERICVS AVGVSTVS III**, Poloniae rex et Saxoniae Elector, natus 1696, 7 Oct. successit Friderico Augusto II, patri, 1733, 1 Sebr. obiit, 1763, 5 Oct.
- FRIDERICVS CHRISTIANVS**, huius filius, natus 1722, 5 Sept. successit patri 1763, 5 Oct. obiit paulo post d. 17. Dec.
- FRANCISCVS XAVERIVS**, huius frater, natus 1730, 25 Aug. post mortem eius Administrator Electoratus Saxoniae, vsque ad annum 1768, 15 Sept. bello septenni copiarum Saxonicarum in exercitu Francico dux.
- FERDINANDVS VI**, Hispaniae rex, Philippi V ex priori coniuge filius, natus 1713, 23 Sept. obiit 1759, 10 Aug.
- CAROLVS III**, huius frater, Philippi V ex posteriori coniuge filius natu maximus, natus 1716, 20. Ian. rex Siciliae et Neapolis, 1738. successit Ferdinando fratri in Hispania, 1759, 11 Sept. obiit 1788, 12 Dec.
- GVILIELMVS VIII**, Princeps Hasso - Cassellanus, natus 1682, 21 Mart. obiit 1760, 31 Ian.
- CAROLVS**, Dux Brunsvicensis Guelfherbytanus, natus 1713, 1 Aug. successit patri, 1735, 3 Sept. decessit 1780, 26 Mart.
- FERDINANDVS**, Caroli huius frater, natus 1721, 12 Ian. apud Borussos belli dux, et ab altero statim belli septennis anno Foederati exercitus supremus ductor. heros sago togaque clarissimus, bonarum artium fautor summus, is ipse, cui propter admirationem harum eius virtutum hic libellus latinus dedicatus est.
- CAROLVS GVILIELMVS FERDINANDVS**, Caroli filius, natus 1735, 9 Oct. etiam Foederati exercitus bello septenni ductor fortissimus, nuper Batauorum rebellium victor, 1786, successit mortuo patri 1780, 26 Mart.

CAROLVS EVGENIVS, Dux Virtembergensis, natus 1728, 11 Febr. successit Carolo Alexandro, patri, 1737, 12 Mart. copias suas bello septenni partim aduersus Foederatos, partim aduersus Borussos ipse duxit.

FRIDERICVS, Dux Megapolitano-Suerinensis, natus 1717, 9 Nov. successit patri, 1756, 30 Mai, obiit 1785, 24 April. a Borussis valde vexatus.

DVCES BELLICI PRAECIPVI:

I. AVSTRIACI: Braunius, (*Browne*) Carolus Lotharingiae Dux, Daunius, Laudonius, Haddiccus, Laschy, Harfchius, Vehler, Gemmingius, Beccius, Serbellonius, Lusinsky etc.

II. IMPERIALES: Iosephus Hildburghusanus, Fridericus Bipontino-Palatinus, Christianus Carolus Stolbergensis.

III. FRANCICI: Estraeus, (*d' Etrées*) Richelius, Claramontanus, (*Clermont*) Contadius, Solbifius, Brolius, Sangermanus, Stainvillius, Castries, du Muy, Briffacus etc.

IV. FOEDERATI: Guilielmus Augustus Cumbriae Dux, Ferdinandus et Carolus Ferdinandus, Brunsvicensis, Vangenhemijs, Imhofius, Spoerkenius, Obergius, Ioa. Casimirus Isenburgicus etc.

V. RVSAICI: Apraxinus, Fermorius, Solticouius, Butterlinus, Czernischefius, Tottlebius, Palmbachius, Romanzouius etc.

VI. SVECICI: Vngern a Sternberg, Hamiltonus, Lantingshausenius.

VII. BORVSSICI: Fridericus M. ipse, Henricus, eius frater, Suerinus, Vinterfeldius, Augustus, Dux Beverenijs, Mauritius Anhaltinus, Keithius, Ferdinandus et Franciscus Brunsvicensis, Zithenius, Fuquetus, Seydlitius, Comes de Dohna, Lehvaldus, Vedelius, Finkius, Itzemplicius, Hülsenius, Vunschius, Tauenzinius, Mayerus, Vernerus, Golzius, Platenius, Kleistius, Bellingius, aliique. Sed quidni etiam duumviros huc referamus, qui, etsi, non integrorum exercituum duces fuerunt, tamen esse merebantur — *Heydenium*, Colbergae defensorem fortissimum, et *Kleistium*, praelio Cunnnersdorfensi occisum?

I N D E X.

A.

- Abrembergius*, Dux III, 33.
IV, 30.
- Albertus Henricus*, princeps Brunsvicensis VI, 30.
- Apraxinus*, summus militiae Russicae praefectus II, 35. III, 1.
- arbores procerae in horto Dresdensi caesae V, 13.
- Armenterius* III, 60.
- Augustus* III, Rex Poloniae, I, 2. 18. 19. 21. II, 5.
- Austriaci* vincunt ad Collinam II, 20. 21. Vinterfeldium belli ducem II, 54. ad Vratislaviam II, 56. ad Olomucium III, 5. ad Hochkircham III, 27 - 34. ad Maxenam IV, 34. ad Misenam IV, 35. ad Landshutiam V, 2. 3.
- — in Lusatiam irrupunt II, 25. Pragae inclusi II, 17. decantant hymnum Ambrosianam ob praelium Zorndorfense III, 24. Dresdam expugnant IV, 24 - 26. violant pactum IV, 26. Marchiam deuastant V, 40. Silesiam pro sua habent VI, 40. Suidnitium muniunt VII, 7. capiunt octo naues V, 14.
- Austriacorum* foedus cum Francogallis I, 3. faeuitia IV, 28. rapaces manus in vrbe Dresdensi V, 7. spes capiendi Fridericum regem V, 12. perfugae V, 65. odium aduersus Borussos VII, 30.
- Austriacis* incredibile videtur foedus Russorum cum Borussis VII, 3.
- Ayassassae* heroica mors III, 61.

B.

- Balbius*, fabrorum praefectus III, 2.
- Bamberga*, a Borussis capta VII, 31.

U

Bava-

- Bavari* et Palatini ab exercitu Germanico seiuncti VII, 34.
- belli septennis initium I, 5.
- Bellingius* VII, 20.
- Bellislius* III, 46. 54. 69.
- Bernburgica* chiliis ignominia notatur V, 11. recuperat virtute fauorem regis V, 23.
- Berolinum* II, 33. 48. V, 2. 8-32.
- Beuerenius*, Dux I, 6. II, 7. 56. 67. VII, 16.
- Bipontinus*, Dux IV, 5. III, 22.
- Boruffi*, vincunt ad Lovosfitium I, 15. ad Reichenbergam II, 7. ad Pragam II, 9. *seq.* ad Gotham II, 41. ad Rosbacum II, 43. ad Leutheram II, 61-63. ad Zorndorffium III, 16. 17. ad Gubenam IV, 9. ad Hoyerswerdam IV, 27. ad Dubenam IV, 30. da Lignitium V, 22. ad Strehlam V, 26. ad Torgauam V, 46-57. ad Burkersdorffium VII, 13. ad Doebeliam VII, 20. ad Fribergam *ibid.*
- Boruffi*, ad Danubium vsque penetrant VII, 31. Ratisbonae appropinquant VII, 32. terras suas in Vestphalia recuperant VII, 35. multis belli calamitatibus pressi, V, 17.
- Borufforum*, expeditio hyberna IV, 37. exercitus laus V, 61-67. odium aduersus Auftriacos VII, 30.
- Boruffiae* regnum in potestatem Russorum venit III, 9.
- Bouillius* III, 60.
- Braunius*, Comes, dux belli I, 6. 12. 13. 14. II, 7. 14. 67.
- Brema* VI, 36.
- Britanni*, instigante Butezio, Friderico pecuniam negant VI, 3. 5. labare coeperunt VII, 22. Hispanos vincunt et Gallofrancos VII, 28.
- Brolius* II, 67. III, 63. fit princeps Germaniae IV, 44. supremus belli dux IV, 56. paene captus VI, 31. imperio militari abit VII, 22.

- Brueblius*, Comes I, 6. II, 5.
- Butesius* VI, 3. VII, 22. 29.
- Butterlinus* VI, 5. 9.
- C.
- Caelicorona* IV, 2.
- Calcoenus* I, 11.
- Calmucci*, variolis abripiuntur II, 36. qui? II, 38.
- Canada* VII, 28.
- Carolinae* Megapolitanae ad Fridericum literae IV, 3.
- Carolus*, Dux Lotharingiae II, 8. 15. 16. 25. 56.
- Carclus*, Marchio Brandenburgicus VII, 30.
- Carolus*, princeps Brunsvicensis heres II, 67. III, 49. 62. IV, 36. 42. 43. 53. 55. 56. V, 70. 74. VI, 2. 31. VII, 22. 24.
- Cassellae* IV, 44. etc.
- Catbarina*, Russiae Augusta VII, 9. 11.
- Cella* II, 53.
- Charlottaeburgum* V, 36.
- Christiani*, homo Austriacus II, 52.
- Clavomontanus*, Comes III, 47. 48. 63.
- Clemens* XIII. pontifex Romanus III, 37.
- cohors praetoriana Bero-
linensis II, 58.
- Colberga* III, 43. V, 27. VI, 21. 24.
- Colignonius* IV, 60.
- Collina* II, 19.
- Collenbachius* VII, 37.
- Condaeus* VII, 24.
- Contadius* III, 63.
- Cosacci* II, 30. 35. VII, 8.
- Cumbriae* Dux II, 24. 26. 51.
- Cunnersdorffium* IV, 11.
- Crefeldia* III, 62.
- Custrinium* III, 12.
- Czernicefius* V, 29. 39.
- D.
- Daunius*, Comes, dux sum-
mus II, 16. 19. 25. III,
3. 7. 22. 23. 37. V,
56. VII, 16. etc.

descriptio exercitus imperii Germanici II, 6. Boruffici V, 64-67. Austriaci V, 66. Franco-gallici II, 41.

Dirkius IV, 35.

Dobnauius III, 12. 42. IV, 6. 7.

Dorstena VI, 32.

Draskouitius V, 4.

Dresda I, 8. III, 22. 41. 42. IV, 24 - 26. V, 6-8.

Düsseldorfium III, 63.

E.

Elisabetha, Rufforum Augusta I, 2. VII, 1.

Embda Frisiae III, 51.

Ephraimus Iudaeus V, 61.

Erfordia IV, 2.

Erlangensium ephemeridum scriptor IV, 1.

Esterhasii laus V, 42.

Estraeus, summus militum praefectus II, 26. 28. 67.

Eugenius, Dux Wirtembergensis IV, 16. V, 30. VI, 21.

Exercitus *vid.* descriptio.

F.

Faber VII, 15.

Ferdinandus, Hispaniae Rex IV, 22.

Ferdinandus, Dux Brunsvicensis, Saxoniam ingreditur I, 5. dux instar iusti exercitus II, 53. 67. hostes fugat III, 49. equites Anglicos sibi iungit III, 51. Rhenum superat III, 53. Franco-gallos fugat III, 56. eius egregia vox III, 62. inuadit Francogallos ad Bergam IV, 43. occupat Bremam IV, 45. a Contadio victor appellatur IV, 50. consilia Brolii irrita reddit IV, 56. Francogallos in fugam vertit V, 71. frustra Gottingam obsidet V, 75. Francogallos premit VI, 1. frustra Cassellas oppugnat VI, 30. Brolium repellit *ibid.* Francogallos fugat VII, 22. *eius* magnanimitas *ibid.* *eius* oratio ad exercitum

- eorum VII, 26. Britanni ei praemium assignant *ibid.*
Fermorius III, 1. 8. II. IV, 7.
Finkius III, 41. IV, 16. 32-34.
Foederati vincunt ad Crefeldiam III, 62. ad Mindam IV, 46-50. ad Gohfeldiam IV, 53. et aliis locis IV, 54. ad Fuldam IV, 55. ad Emsdorfium V, 70. ad Varburgum V, 71. ad Longofalissam VI, 1. ad Hohe noueram VI, 30. ad Brunsvicum VI, 34. ad Lutternbergam VII, 23.
 foedus inter Austriacos et Francogallos I, 3.
Franciscus I. Imperator, pro Laudonio se interponit VI, 15. 17.
Franciscus, Dux Brunsvicensis III, 32.
Francofordia ad Moenum IV, 41. 44.
Francofordia ad Viadrum V, 41.
Francogalli vincunt ad Hastenbecciam II, 26. ad Sangerhusam III, 63. ad Lutternbergam III, 66. ad Bergam IV, 43. ad Rhenobergam V, 74. ad Stangerodam VI, 2. ad Cassellas VI, 29. ad Iohannis Montem VII, 24.
 — — terras Borussicas invadunt II, 24. occupant Hassiam III, 63. fugiunt Vefaliam III, 64. a rusticis e Frisia Orientali eieci VI, 35. pacem optant VII, 27. in Angliam exscendere volunt, sed frustra *ibid.* pacem cum Britannis faciunt VII, 26. 28. 29.
Francogallorum foedus cum Austriacis I, 3. crudelitas II, 30. supellex in castris II, 41. furor in Hassia II, 52. confusio III, 54. miseria III, 56. importunitas VI, 37. iactura VII, 28.
Francogallici chiliarchi rusticitas II, 48.

Franconia IV, 2.

Fridericus, Dux Brunsvicensis VII, 23. 26.

Fridericus II. Rex Borussiae, in Saxoniam irrumpit I, 5. Dresdam occupat I, 8. tabulario aulae Saxonicae potitur I, 9. per proditorem fit certior de foedere contra ipsum facto I, 4. 9. dure respondet I, 19. hyemem Dresdae transigit I, 23. paene veneno necatur II, 2. in Bruchlium Comitem infesto animo II, 5. proscribitur II, 24. Bohemiam ingreditur II, 7. Moraviam III, 2. mortem optat IV, 17. refarciebat iacturam e Saxonia IV, 59. Daunium a Dresda amouet V, 5. Dresdam oppugnat V, 6-8. paene captus V, 12. studiis deditus VI, 4. Lipsiae hyemat *ibid.* Gellertum ad se arcessit *ibid.* defendendo agit VI, 5. castra ad Bunzeluitium munit VI, 5. 6. Turcos et Tataros

contra hostes suos sollicitat VI, 28. constanti animo perniciem suam exspectat VI, 41. venenum secum fert *ibid.* fraudat milites donatio hyberno VII, 6. Petro, Russorum imperatori, sapientissima dat consilia VII, 11. Russis dat specimen scientiae rei militaris VII, 13. Suidnitium oppugnat VII, 15. capit VII, 19. Quasconem liberaliter habet *ibid.* inducias cum Austriacis facit VII, 21. a Britannorum perfidia furori hostium obiectus VII, 29. a Britannis abalienatus per omnem vitam *ibid.* captivos Austriacorum duces dure tractat VII, 30.

Friderici literae ad Augustum Poloniae regem I, 22. ad Mareschallum II, 23. III, 24. ad Stanislauum regem IV. 56. ad Argentium V, 25. ad matrem II, 13. *eius* de ducibus Francogallis iudicium III, 47. *eius*

vox post praelium Cunn-
nersdorffense IV, 23.
consilium de conqui-
rendo milite IV, 60.
feueritas V, 11. cala-
mitates V, 17. for-
tuna iniquior VI, 5.
25. constantia VI, 18.
iocus VI, 20.

Friderico horrendum pro-
ditionis periculum im-
minet VI, 19.

Friderici Guilielmi dotes
bellicae VII, 5.

Fritschius VII, 37.

Fulonius II, 27. III, 70.

Fuquetus II, 67. III, 24.
VII, 30. V, 2. 3.

G.

Galterius, Francogallus
II, 52.

Gellertus VI, 4.

Georgius II, Britanniae
rex, Friderici foederatus
I, 5. VI, 3.

Georgius III, Britanniae
rex VI, 3.

Germaniae tristis facies
VII, 36.

S. Germanus, Comes III,
55.

Gisforii mors III, 62.

Glacium expugnatur V,
4. seq.

Glasanius regem Borussiae
veneno tollere vult II, 2.

Gotha II, 41.

Gottingenfis academia II,
28.

Gottschedius VI, 4.

Gribavallius VII, 7. 15.

Guasco IV, 26. VII, 7.

H.

Haakius, classem Franci-
cam disiciit IV, 54.

Haddiccus, belli dux II,
33. 67.

Hanouerani se coniungunt
cum Borussis IV, 36.

Harschius III, 39. 40.

Hassia a Francogallis oc-
cupata III, 63.

Hasso - Cassellanus Prin-
ceps II, 51.

Hastenbeccia II, 26.

Hauanna a Britannis ex-
pugnata VII, 28.

Havrincourtii, Marchionis,
de Francogallis iudicium
III, 48.

Hausmannus IV, 26.

Henricus, Borussiae Prin-
ceps II, 44. 67. III,
22. IV, 2. 5. 10. 27.
30. 31. V, 20. VII,
20. etc.

Herrenstadium IV, 27.

Herzbergius VII, 37.

Heydenius, praefectus Col-
bergenfis III, 43. V, 27.
VI, 21. 22. 24.

Hispani a Britannis victi
VII, 28.

Hochkircha III, 25. 32.

S. Huberti villa diripitur
V, 43. *ibidem* pax fa-
cta VII, 37.

Hulfenius, belli dux III,
41. IV, 2. 16. 31. V,
26. 30.

I.

Jaegerndorffium Maius II,
35.

Imhofius, belli dux III,
64. IV, 54. 55.

Imperii Germanici exerci-
tus II, 3. 6. VI, 1. etc.

induciae factae VII, 21.
31.

Ifenburgicus Princeps III,
63. IV, 43.

K.

Keithius, belli dux I, 12.
II, 9. 67. III, 2. 7.
26. 32.

Kleistii poëtae funesta mors
IV, 20.

Kleistius, belli dux VII,
21. 31.

Knobloccius, belli dux V,
30. VI, 23.

Koenigseck, Comes, belli
dux II, 7.

L.

Lapis Regius I, 22.

Lascius, Comes, belli dux
V, 32. 35. 41.

La Sonii barbaries III, 70.

Laudonius, fulcrum impe-
rii Mariae Theresiae fir-
missimum VI, 16. Be-
rolinum venit ad peten-
dum *centurionis* locum
VI, 17. eius res gestae
VI, 16. II, 67. III, 5.
25. 38. IV, 8. V, 2.

3. 15. 18. 19. 22. VI,
12. 13. 14. literae ad
Carolus, Marchionem
Brandenburg. VII, 30.
- Lebvaldius*, dux summus
II, 24. 35. 39. 66. V,
30.
- Lesteuitii* ignavia II, 57.
- Leuthena* II, 61.
- Lignitium* II, 65.
- Lipsia* V, 44. 59. 60.
- Lovositium* I, 13.
- Lucknerus* IV, 54. 57. V,
72.
- Ludouicus XV.* rex Fran-
ciae I, 2. 10.
- Lutterberga* III, 66. VII,
23.
- Lynarius*, Comes II, 51.
- M.
- Magdeburgum* obsessum
IV, 23. Friderico per
proditionem fere ere-
ptum VI, 26. 27.
- Manilla* a Britannis ex-
pugnata VII, 28.
- Manteufelius* captus IV,
40.
- Marschallus*, praefectus
Olomucensis III, 1.
- Maria Theresia*, Augusta
Germanorum, foedus init
contra Fridericum II. Bo-
russorum regem I, 2.
Daunio gratias agit lite-
ris humanissime scriptis
III, 37. Trescouiam
Viennae humanissime tra-
ctat III, 40. eius huma-
nitas V, 62. Borussos
captivos dure tractat
VII, 30. pacem optat
VII, 35.
- Mauritius*, Princeps Des-
faviensis, belli dux II,
9. 12. 34. III, 32.
- Mayerus*, chiliarchus II,
32.
- Maxena* IV, 31. 34.
- Megapolitanus* dux, odit re-
gem Borussorum IV, 3.
pacem cum Borussis fa-
cit VII, 34.
- Memela* II, 35.
- Minda* III, 50. IV, 44.
- Moellendorffius* VII, 13.
- Mosellus*, chiliarchus III, 4.
- N.
- Nadastius*, belli dux II, 55.
- Neouidensis*, belli dux VII,
8.

- Niffa* III, 39.
- Noriberga*, a Boruffis capta, VII, 31.
- O.
- Obergius*, belli dux III, 66.
- Olomucium* III, 1. 2. 7.
- Ous*, praefectus Glacii, homonauci V, 4.
- P.
- Paninius*, belli dux III, 19.
- Pax* frustra tentata I, 11. II, 3. IV, 58. 59. VI, 40.
- Pax* Rufforum cum Boruffis VII, 2. Borufforum cum Suecis VII, 4. 20. inter Francogallos et Britannos VII, 26. 28. 29. Britannis displicet VII, 24. in S. Huberti villa facta VII, 37.
- Petrus* III. Rufforum Imperator, Friderico amiciffimus VII, 1. 2. veste militari Boruffica vfu VII, 4. throno deiectus VII, 9.
- Pirtius* II, 69. III, 64. V, 74.
- Platenius* VI, 23. 25.
- Plotbo* legatus regis Borufforum VII, 32.
- Poecile* Dresdenfis II, 5.
- Poloniae* regina I, 9. II, 49.
- porcellana Mifenenfis II, 4.
- Portugallia* a Britannis liberata VII, 28.
- praelium ad Lovofitium I, 13. 14. ad Reichenbergam II, 7. ad Pragam II, 9. feq. ad Collinam II, 20. 21. ad Haftenbecciam II, 26. ad Iaegerndorffium Maius II, 35. ad Rosbacum II, 43. ad Vratislaviam II, 56. ad Leutenam II, 61-63. ad Zorndorffium III, 16. ad Hochkircham III, 27-34. ad Crefeldiam III, 62. ad Sangerhufam III, 63. ad Lutternbergam III, 66. ad Zullichauiam IV, 7. 10. ad Cunnersdorffium, IV, 11-19. ad Torgauiam IV, 29. ad Dubenam IV, 30. ad Maxenam IV, 34. ad Bergam IV, 43. ad Mindam IV, 46-50. ad Landshutam V, 2. 3. ad

- ad Lignitium V, 22. ad
 Torgauiam V, 46-57. ad
 Corbacum V, 70. ad
 Emsdorffium V, 70. ad
 Varburgum V, 71. ad
 Rhenobergam V, 74. ad
 Bruynam *ibid.* ad Longo-
 falissam VI, 1. ad Hohe-
 noueram VI, 30. ad Bur-
 kersdorffium VII, 13. ad
 Doebeliam VII, 20. ad
 Fribergam VII, 20. ad
 Guilielmi Vallem VII, 22.
 ad Lutternbergam VII,
 23. inter Francofordiam
 et Cassellas VII, 23. ad
 Iohannis Montem VII,
 24. anceps ad Amoene-
 burgum VII, 25.
- Praga* II, 11. 16. 24.
- Putcammerus*, glande plum-
 bea traiectus IV, 16.
- Q.
- Quintus Icilius* V, 43. VI,
 4. 41.
- Rabeneri* Satyrici libri ma-
 nuscripti in manus Croa-
 tarum incidunt V, 7.
- Ratisbonensis conuentus
 reipublicae Germanicae
 Fridericum proscribere
 vult II, 3. Ratisbonenses
 clementiam regis Boruf-
 forum implorant VII, 32.
- Regii Lapidis* castellum
 neutrarum partium I, 16.
 21.
- Reginogradium* I, 12.
- Regiomontium* III, 8.
- Reichenberga* II, 7.
- Richelius* Dux II, 29. 31.
 51. 53.
- Rochambellus* VII, 23.
- Romanzouius* II, 67. VI,
 21.
- Rosbacum* II, 43.
- Rotenburgum* ad Tubarim
 a Borussis occupatur VII,
 31.
- Russi vincunt ad Iaegern-
 dorffium Maius II, 35.
 ad Zullichauiam IV, 7.
 ad Cunnersdorffium IV,
 11-19.
- Russi* terras Borussicas in-
 vadunt II, 24. III, 1. 9.
 eorum crudelitas II, 35.
 III, 12. IV, 28. grassan-
 tur in Marchia III, 15.
 eorum incendia IV, 27.
 28. cum Austriacis fe
- con-

- coniungunt VI, 5. ab Austriacis discedunt VI, 9. cum Friderico II. rege Borufforum pacem faciunt VII, 2. cum Boruffis se coniungunt VII, 2. 3. reddunt Boruffis omnes regiones, quas occupauerant VII, 2. a Boruffis discedunt VII, 12. 13. regi Borufforum iterum bellum decernunt VII, 11.
- Rutouicius*, dux summus exercitus Saxonici I, 22.
- S.
- Saceniilli* Britanni ignavia IV, 48. ignominia notatur IV, 51, 52. rei bellicae administer *ibid.*
- Sangerhusa* III, 63.
- Saxonum exercitus* a Boruffis capitur I, 16. 18. virtus III, 67. IV, 47. feritas V, 36. fugatur VI, 1. VII, 23.
- Schafgotſchius*, episcopus Vratislaviensis II, 59.
- Schmettauus* III, 22. 41. IV, 24-26.
- Schmidius* proditor VI, 19. fuga elapsus VI, 20.
- Schoenaichius* Princeps II, 10.
- Seeuenense* foedus II, 26. rumpitur II, 51.
- Seydlitius*, ductor Borufforum II, 41. 44. 67. III, 16. 20. 28. IV, 13. 14. 16. V, 30.
- Silesia* I, 2.
- Solbifius*, belli dux II, 24. 30. 41. 46. III, 54. 63. 66. eius humanitas VI, 30.
- Solticouius*, Rufforum dux IV. 7. eius literae ad Augustam Rufforum IV, 18.
- Spoerkenius* fugat Saxones et German. exercitum VI, 1.
- Stolbergius* Princeps VII, 33.
- Stormontius* I, 11.
- Sueci* terras Borufficas invadunt II, 24. Pomeraniam intrant II, 39. repulsi II, 66. Berolinum petunt III, 15. multis viribus eiekti IV, 4. pelluntur IV, 40. V, 58. cum

- cum Boruffis pacem faciunt VII, 4. 20.
- — eorum inertia et turpia facta III, 44.
- Suerinium* occupatur a Boruffis IV, 3.
- Suerinius*, Comes, summus rei militaris praefectus I, 12. II, 67. eius mors II, 14.
- Suidnitium* II, 55. III, 1. VI, 12. 13. 14. 25. VII, 7. 17. 19.
- Sulcouius*, Poloniae Princeps IV, 1.
- T.
- Tauencinii*, praefecti Vratislaviensis, laus V, 18. 19. Suidnitium oppugnat VII, 15.
- thesauri regis Borufforum VI, 26.
- Torgania* V, 45. IV, 23.
- Torgensis* sylva caeditur IV, 60.
- Tottlebius* V, 29. eius lenitas V, 32. in custodiam datur VI, 21.
- Trenckius* Magdeburgi proditionem molitur VI, 26. 27.
- Trescouia*, nobilis femina III, 40.
- V. W.
- Valsius*, praefectus Gottingenfis VI, 38.
- Varburgum*, VII, 71.
- variolae II, 36.
- Varkotschbius* proditor VI, 19. fuga elapsus VI, 20.
- Vechtana* arx III, 51.
- Vedelius*, belli dux III, 42. 45. IV, 7.
- velitis Boruffici generosa responsio III, 58.
- Vernerus*, belli dux II, 67. V, 27. 28. 58. captus VI, 24.
- Vesalia* II, 26.
- Villaresii* ducis equi III, 54.
- Vinsbemia* a Boruffis occupata VII, 31.
- Vinterfeldius*, belli dux I, 9. II, 54. 67.
- Virtembergicus* dux fugit IV, 55. victus V, 26.
- Virtembergenses* domum repetunt, V, 71.
- Vitemberga* IV, 23.
- Wobers.*

Wobersnouius, belli dux

IV, 1.

Vratislauia II, 57. 64.

Wunfchius, belli dux II,

67. IV, 17. 28. 34.

X.

Xauerius, Saxoniae Prin-

ceps II, 25. III, 67. V,

71. Guelferbytum capit

VI, 37. vincitur VII. 23.

33.

Z.

Zastrouius VI, 12. 14.

Ziegenbayna V, 72. VI, 30.

Zithenius, belli dux II, 57.

64. 67. III, 28. V, 47.

52. 56.

Zittauia II, 25.

Zorndorffium III, 16.

Zulichauia IV, 7.

E R R A T A.

Pag.	ult.	dedicationis	lin. 5.	pro	prae	cor	lege	pre	cor.
—	15	lin.	26	pro	Vestru		leg.	Vestrum	
—	48	—	8	—	huius	die	—	huius	diei
—	56	—	28	—	accipisset;		—	accepisset;	
—	133	—	ult.	—	ereptura,		—	eruptura,	
—	190	—	11	—	pauco		—	paulo	
—	195	—	10	—	arte	actorum	—	arte	factorum
—	239	—	18	—	nisi		—	nisi,	quod
—	262	—	26	—	novi	fociis	—	noui	focii
—	263	—	22	—	iuga	arcarum	—	iuga	arearum
—	299	—	8	—	Zulichia	viam	—	Zulichaviam,	



TABLE

Part I. Descriptions of the several species of the genus *Callinectes* ...

1. *Callinectes sapidus* ... 1

2. *Callinectes similis* ... 2

3. *Callinectes* ... 3

4. *Callinectes* ... 4

5. *Callinectes* ... 5

6. *Callinectes* ... 6

7. *Callinectes* ... 7

8. *Callinectes* ... 8

9. *Callinectes* ... 9

10. *Callinectes* ... 10

11. *Callinectes* ... 11

12. *Callinectes* ... 12

13. *Callinectes* ... 13

14. *Callinectes* ... 14

15. *Callinectes* ... 15


1854



Erklärung der Illumination
 Alle preussische Länder
 Länder der preuss. Bundesgenossen
 Oestreichische Länder
 die dänische Bundes Lande
 Schwedische Besitzungen
 die Schotten sind nach den jetzmaligen Positionen der Armeen angeordnet und letztere durch folgende Farben bezeichet
 russische Armeen
 französische Armeen
 spanische Armeen

*Theatrum belli septennis 1756-1763.
 a
 Friderico II. Borussiae rege
 contra
 Austriacos, S. R. I. Principes, Saxones, Gallos,
 Russos & Suecos, foedere inter se coniunctos,
 victoribus armis gesti.
 Barthi imp. J. A. Lubekii hered. 1790.*

Maastab von 30 Meilen. 18 auf einen Grad





00042609

